FRANCISCI MICHAELIS

LESNIEVII

SANDOMIRIANI,

INTER ARCADES DEIPHILI ISMARIENSIS,

LYRICA, ELEGIAE, ET EPIGRAMMATA SELECTIORA.

ACCEDIT

DE PERPETUO HUMANI GENERIS CONSENSU IN CONFITENDO, QUOD DEUS SIT,

DISSERTATIO.

LEOPOLI.

TYPIS PILLERIANIS.

1790.

EDI IN LUCEM JUSSIT

SEVERINUS

RZEWUSKI

EXERCITUUM REIP. POLONÆ

DUX,

QUI VIDELICET

Non ſine Pieriis exercuit artibus arma:
Semper erat Vatum maxima cura DUCI.
Gaudet enim Virtus teſtes ſibi iungere Muſas.
Carmen amat, quisquis carmine digna gerit.

Claudian.

ILLUSTRISSIMO DUCI REVUSCIO

Editionem hanc adurgenti, æternum devinctus Poëta Auctor, ſalutem, & gratias immortales.

Inclyte DUX, Dux Pacis honos, Dux gloria belli,
Quem decorant ſértis Mars & Apollo ſuis,
TU mea, lucifugis pridem data munera blattis,
Ducere & æternum carmina iuſſa ſitum,

Jam desperatæ rursum se reddere luci
Cogis, & in plenum præcipis ire diem?
Ista quidem & votis, & spe mihi grandior omni est,
Obvenit ac Musis sors inopina meis;
Quando tamen TUA iussa urgent, parebitur illis:
Sanctum etenim, quidquid iusseris, esse reor.
Ite meæ in lucem, felices ite Camœnæ!
Ite, nec insanæ sit metus invidiæ!
Fidite causa bona est, & magno nixa Patrono;
Utraque præsidium res, pretiumque dabit.
Vos superis laudes, sacrosque iubetis honores
Solvere, vos grates, vos adhibere preces:
Vos Sacra post superûm Patriæ communis amorem
Inspirare bonis civibus ardor agit.
Vos animosque virûm, dextrasque in pulchra cietis
Prælia, proque Aris, proque gerenda focis:
Sed pacem, pacisque artes præferre iubetis,
Res nisi dura bonos cogat ad arma viros.
Vos teneram imbuitis virtutis amore Juventam;
Vos colitis pulchris artibus ingenia.
Usque adeon' meritas, postquam prodisse videbit.

Non

Non læto excipiat publicus ore favor?
Præterea Magnos, Divûm æmula Numina, Reges,
Et Proceres labor est, & celebrare Duces.
Macte animis! Properate meæ, properate Camœnæ!
Nullis in lucem pulchrius ire datum est!
Namque inter Magnos Proceresque, Ducesque, licebit
Tollere & HEROES laude REVUSCIADAS.
Quos, superi! quantosque Viros, NATUMQUE, PATREMQUE!
Quæ duo gentili lumina in historia!
Pro Patria, Patriisque sacris, queis FORTITER unà
Contigit in paucis tanta AGERE, atque PATI, (*
Dum nuper, memorem Rossæ Junonis ob iram,
Capta tulit Danaos Troia Polona suos.
PUBLICA RES! SACRA RELIGIO! præclarius ulla
De TE unquam Heroës promeruere TUI?

Non

(*) AGERE ET PATI FORTIA ROMANUM EST, *inquit fortissimus pro Aris & focis patriis propugnator C. Mutius Scævola, Porsenæ tum Regis captivus, apud Livium.*

Non ſua captivis plus debuit Attica Codris:
Non ſua vel Deciis Roma, vel Attiliis!
Ite bonis avibus, lucem ultro ambite Camœnæ,
Contigerit tantum queis ceciniſſe decus!

LYRICORUM
LIBRI TRES.

Quum omnia ratione animoque luſtraris, omnium ſocietatum nulla eſt gratior, nulla carior, quam ea, quæ cum Republica eſt unicuique noſtrum. Cari Parentes, cari liberi, propinqui, familiares: ſed omnes omnium caritates PATRIA una complexa eſt: pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus?

Cicero I. de offic.

F. M. LESNIEVII
LYRICORUM
LIBER I.

AD EQUESTREM REIPUBLICÆ POLONÆ ORDINEM, VIROS FORTISS. CIVES OPT.

Quid VOS Aviti Gloria Nominis,
Quid veſtra poſcat, quid Patriæ ſalus,
Audite CIVES dicta vatis,
Et memori retinere mente.

Privata primum commoda publicis
Præferre quenquam, ſit vetitum nefas:
Hac labe qui ſe ſe inquinarit,
Is neque Vir, neque Civis eſto.

Pro-

Probrosa quemquem postea servitus
Movet, tyrannos indocilem pati,
Sit sana LIBERTAS, honesti
Obsequii, patiensque legum.

Insanienti frena licentiæ
Maurus remittat, barbarus & scythes,
Quem belluino ducta ritu
Vita iuvat stolide ferocem.

Quos vera virtus, quos ratio regit,
Non servitutis plus metuent probrum,
Parêre quàm iuri rebellem
Stultitiam, tumidosque fastus.

Nocet fruenti, quod nimium est, bonum.
Nimis beatus divitiis Midas
Repente se cunctis egentem
Flevit inops, sapuitque damno.

Mollis labores dum fugit asperos,
Natumque bellis ad choreas equum
Exercet infamis, beatam
Morte luit Sybarita vitam.

Dum liberorum iura Quiritium
In maius auget semper, obhorruit
Heu! serva Syllæ, Cæsarumque,
ROMA Tribunitios tumultus!

O bellicosi progenies LECHI!
Tremende quondam finitimis Vigor!
Externa ni Vos damna terrent,
Eia malis sapitote vestris!

Quæ-

Quæcunque segnem gignat inertiam
Togâ vel armis, consiliis moras
Quæcunque Libertas honestis
Iniiciat, reputate pestem.

Domi severis vivere legibus.
Patrumque priscis Ritibus, & Sacris;
Servare nutus imperantum,
Artibus ingenuis poliri;

Laboriosis rura coloniis,
Densare multo ex municipe oppida;
Munita castris, arcibusque,
Imperii stabilire claustra;

Acrem laborum rebus in arduis
Durare Pubem, quæ Patriâ procul
Condiscat externos in hostes
Bella mari gerere, atque terra;

Quæque invidendas duplicis Indiæ
Trans usque Pontum divitias petat,
In publicæ ornamenta Pacis,
Belligeri auxiliumque Martis;

Hæc prima sanis cura Quiritibus,
Hæc summa stabit Consilio Patrum,
Queis vera Libertas amori est,
Desidia procul atque luxu.

Tum culta belli, pacis & artibus,
Ævum Juventus concinet aureum
Regnantis AUGUSTI, Latinas
Docta suis sociare Musas.

AD

AD JOSEPHUM ALEXANDRUM PRINCIPEM JABLONOVIUM, PALAT. NOVOGR.

Veram Gloriam solo Virtutis promerito obtineri.

Non auri, neque gemmeus
Urit barbarico me pretio nitor.
  Non me tollere honoribus
Certent mobilium vota Quiritium,
  Si caſſus Meriti ferar
Falſæ ludibrium nobile gloriæ.
  Vera laudis adoream
Virtus emerito cui dedit, Attalum
  Vicit divitiis potens,
Magnisque anteiit Cæſarem honoribus.
  Summo vertice ſiderum
Fixit vera ſuam Gloria Regiam,
  Quam non ullâ adeat viâ,
Cui Virtus comitem ſe neget, & ducem.
  Fidi munere conſili
Caræ promoveat qui bona Patriæ;
  Qui Civeis ſapientibus
Incendat ſtudiis, nobilium potens
  Vindex & Stator Artium,
Muſas illicio qui Danaëis,
  Nimbi prodigus aurei,
Et magnis aveat vincere præmiis,
  Argivo melior Jove;
Quem Regna & Populi ſuſpiciant novum

Do-

  Doctæ fidus adoreæ;
Is miſtus ſuperis iam ſocius deis
  Arces attigit igneas.
In quem conveniant hæc, taceam licet,
  Nemo conſulet Oedipum.
TU, quem noſtra ſuis Muſa coloribus
  Pinxit, MAXIME PRINCIPUM,
Quanquam nil gerimus Vatis Horatii,
  AUGUSTUM tamen exhibe: (*)
Arces nosque Tuas viſere rarius
  Æquo pectore ſuſtine.

AD PACEM A. C. MDCCLXII.

O Diva, Terræ quæ ſcelus impium
Peroſa dudum, ſidereas redux
  Arces petiſti, ne profanæ
    Turpe nefas paterere turbæ;

Sat ultioni, ſat meritis datum
Superque pœnis! Jam luit impius,
  Terraque vexatus marique
    Mille malis, ſua probra Mundus!

No-

(*) *Suetonius in vita Horatii auctor eſt, fuiſſe in votis Auguſto, habere ſecum hunc Vatem, eoque familiariter uti: cui Imperatoris favori & ſi renuntiaſſet Horatius, Imperator tamen* ne recuſanti quidem (*Suetonii verba ſunt*) aut ſuccenſuit quidquam, aut amicitiam ſuam ſuggerere deſtitit.

Nostro fatiscens pondere criminum
Fessum profanis surripuit latus,
Arcesque Tellus, impiasque
Cum Populis sepelivit Urbeis.

Nostris iniquus flagitiis Polus
Nos imbre, dira nos male grandine
Ivit peremptum: nos rubenti
Attonuit iaculatus igni.

Non mitiores in vetitum scelus
Neptunus iras egit, & amnibus
Per arva grassatus refusis,
Et pelagi resonantis undis.

Sed nemo pœnas durior impii
Exegit ultor criminis, in suas
Armata quàm clades nefandæ
Terrigenûm gravis ira turbæ.

Heu! quo furore in mutua barbaris
Desævierunt funera cædibus!
Quam late acervatim insepultis
Terra viris, tumuitque pontus!

Ohe! scelestis quam regionibus
Peccare pronum depulimus genus,
Placare tandem, perditasque
DIVA redi miserata genteis!

Redi! & benigno lumine blandior
Offusa diri nubila discute
PAX læta belli! Tu sereno
Dum venies inopina cælo.

In

In sæva qui nunc arma ciet viros,
Vastator orbis diffugiet Furor;
Clamore quem elato prememus,
Dum Stygiis caput abdat undis.

At Te reducto conspicuam polo
Et Terra passis obvia brachiis,
Pertæsus & iam bella Pontus,
Insolito excipient triumpho.

AD IGNATIUM PRINCIPEM CRASICIVM EPISCOPUM VARMIEN.

Falsa libertatis opinione multos decipi.

Nec fabuloso Lydius quidquid vehit
Pactolus aut Hermus vado;
Nec Peruanis quidquid e venis fodit
Ibera Mauri servitus;
Aurum est, CRASICI. Miscuit gazas late
Natura rerum provida.
Non Temeritatem voluit illa scilicet
Ditare, nec Ignaviam:
Sed perspicaci præmia hæc Prudentiæ
Servavit, ac Industriæ.
Advertis? auro sic & illa carior,
Indoque LIBERTAS mari,
Quibus redundat, non cuique offert opes:
Et dives est, non prodiga.
Sudore multo, quin & udus sanguine,
Istas fodit gazas Labor:

Aut

Aut glareoſo diſſipatas littore,
Sagax cribrat Prudentia:
At vulgus amens impetu cæco irruit,
Et quidquid obvium eſt, rapit,
Hinc ſæpe, Libertatis Aurum quod putat,
Id ſaxum, arena, vel lutum eſt.
Riſune cæcam, an lacrymis, amentiam
Hanc eſſe dignam exiſtimes?
Nam quot lacertis tale, quot cervicibus,
Ubique pondus incuba !
Quo ſi levare ſuaſor oppreſſos velis,
Ad arma conclamant, furunt.
Ultro interire nemo non horum videt,
Frangique ſe ſe pondere:
Tamen interire nemo non potius velit,
Quam triſte pondus ponere.
Hos turpe falli, noſſe nec veras opes,
Quis iure non irrideat?
Sed interire, ſponte ſeque perdere,
Quis iure non illacrymet?

QUUM e variis regionibus horrendi terræ motus, Urbiumque clariſſimarum ruinæ, paſſim nuntiarentur.

AD THALIARCHUM.

Præcepta Horatii correcta.

Audis, ut altas funditus eruat
Iratus Urbeis Nereus, intimos
Terræ laborantis receſſus
Horriſonis populatus undis?

Nec

Nec ille ſolum fœdus in impium
Coniunxit iras armaque Nereo,
Stupente Natura iam amicus
Mulciber, Æoliique fratres!

At te cadentum montium & urbium
Tonans ruinis non fragor excitat?
Obliviosi rumpe vini,
Rumpe moras Thaliarche ſomni!

Permitte ſtultis diſpereuntium
Curas Bonorum, quæ ſimul aureo
Riſere vultu, more blandi
Te vacuum fugient ſoporis.

At æviternis iugem animum Bonis,
Curamque ſolers adiice, nec ſolo
Habere te credas manentem,
Exilii memor hoſpes, urbem.

Donec viator ſidereæ pedem
Ponas beatus limine Patriæ,
Non ulla tendentem moretur
Falſa laris ſpecies caduci,

Te pulcher alto Delius æthere,
Te luna vivis pervigil ignibus,
Urant anhelantem beatos
Cælituum ſociare cætus.

 QUUM

QUUM JOSEPHUS ALEXANDER PRINCEPS JABLONOVIUS, PALATINATUS NOVOGRODENSIS,

Iis, qui e Geometria, Physica Experiente, aliisque liberalibus disciplinis, palmam referrent, præmia munifice conferret, A. C. 1760. Prosopopœia POLONIÆ.

Vivo beatum sæculum POLONIA!
Mihi invidetote Exteri
Vivo beatum sæculum POLONIA!
EUROPA bello conflagrat:
Imo universum bella concutiunt solum:
PAX luget exul, & SALUS.
At ego beato læta perfruor otio!
Nec turpe est inersque otium:
Beatius nihil est, nec illo pulchrius.
Scientiis belle excolor.
AUGUSTUS illas, Patriæ verus Pater,
Academiis donat novis.
REGEM secutus JABLONOVIUS manu
Quàm liberali munerat!
Quem TE vocabo, o Patriæ decus Tuæ,
DUX JABLONOVI Maxime?
AUGUTSUS imperat mihi o! diu imperet,
Pacem fovens & Literas!
Hoc imperante Literatos TU foves:
Dicêre Mecænas mihi.

Ve-

Veram felicitatem non aliis, quam animi bonis contineri.

Divinis tenerum qui Sapientiæ
Præceptis animum percoluit puer,
Virtutisque subegit
Alto semina pectore:

Illi quum celeris verna puertiæ
Maturum attigerit temperies diem,
Quas æstate, Vir olim,
Vitæ divitias metet!

Non ingens siculi copia mergitis,
Non &, quæ Libycas deterit areas,
Maurosida colono
Tantum fundit opum seges!

Rumpat Triptolemus frugibus horrea,
Et Læstrigoniis Ævius amphoris:
Largus vertat in aurum,
Quidquid contigeris, deus;

Semper curtæ aberit nescio quid rei
Sævo multa aberunt usque cupidini,
Doctum vivere parvo
Ni virtus animum beet.

Virtus, certa virûm dux Sapientium,
Errori populi diffidet improbi,
Excluditque beato
Croesos âtque Midas choro.

 Rex

Rex eſt, cui nec atrox imperat Ambitus,
Nec ſpes anxia, nec ſolicitûs Timor:
Sed tranquilla potentis
Regnum mens animi tenet.

REGES POLONIÆ, QUORUM IMPERIO

Respublica Academiis eſt aucta.

I.

VLADISLAVS JAGIELLO.

Inclytam Cracovienſem Academiam ſub A. C. MCCCXCI. inſtituit.

Quos me Phoebe Viros ſeu cithara iubes,
Acri ſeu meritos dicere tibia?
Umbroſis Helicon quod recinet iugis
Multa nomen imagine?

Quid fas ſit potius dicere Principum
Magnis de Patria promeritis Virûm,
Quos Muſæ cupiant, quos ſapientia,
Et quos Phœbus amet coli?

REGUM Magne Parens, primaque Maximi
JAGELLONIADUM Gloria Nominis,
VLADISLAE, Ducum Littaviæ Jubar,
Et ſceptri Lechici ſalus,

TE

TE! TE belligeri Poſteritas LECHI
Cælo tergeminis ſemper honoribus
Attollet meritum: Te ſapientiæ,
Muſarumque colet Patrem!

Divæ Pegaſides, virgineum genus,
Brumam & Sarmaticas horruerant nives,
Quamvis Hæmonium pertulerint gelu
Orphêæ ſtudio lyræ.

Vanos prima metus eripuit Tua
Regum digna animis munificentia,
TU lætas poſitis rite ſacrariis
Regno concilias Tuo.

Adventant, cupidas excipit hoſpites
Urbs Regum domus, Urbs Regum opus inclytum:
Externæque diu, PRINCIPE tam bono,
Cives eſſe volunt Deæ.

II.

STEPHANUS BATHOREUS.

VILNÆ, principe Litvaniæ Urbe; alteram inclytam Academiam ſub A. C. MDLXXIX. condit.

Poſt arces Cracias Urbs GEDIMINIA,
Quæ late Litavis imperat Urbibus,
Suppar Regificæ VILNA CRACOVIÆ,
Hoc ipſum aſſequitur decus.

Hæres

Hæres dum ſolio deficit ultimus,
JAGELLONIADUM Lechica PRINCIPUM
Optarunt meritum ſceptra BATHORIDEN,
Ac optaſſe, ſalus fuit.

Salve o Lechiaci REX Stator Imperi!
Princeps atque Pater Maxime Patriæ!
Nec vano placiti nominis omine
Idem Rexque, Coronaque!

Tecum pro ſolio quot comites amant
Aſſediſſe Deæ! Pax olea Tibi
Hinc cingit ſtabilis tempora, Martiis
Hinc Victoria laureis.

Adſunt, cana Fides, & rigida Æquitas,
Et blando Bonitas lumine: ſed ſinus
Illibata tui pectoris intimos
Divûm Religio tenet.

Auguſti reliquum quod Solii eſt ſuper,
Invitatus habet Pegaſidum chorus,
Arteſque ingenuo ſtemmate nobiles,
Illuſtresque Scientiæ.

Illis, ut Lechicum ſemper ament ſolum,
Et Pubem ingenuam latius excolant,
Jagelloniacis Arcibus æmulas
Arces ad Viliam excitas.

III.

III.

SIGISMUNDUS III.

Clariſſimo Zamoſcienſi Gymnaſio, per JOANNEM ZAMOSCIUM, immortalium de Rep. promeritorum Virum, ſub A. C. 1590 condito, iura & honores Academiæ impertitur,

Veſper quos tumulo condidit invidus,
Non toti ſubeunt funera Delii.
Eſt hæres vidui Cynthia luminis,
Sunt lux poſthuma ſidera.

Sic Jagellonidæ deficiunt Viri.
Exſtincti radiant, atque ſuperſtite
Splendent fœminei lumine ſanguinis,
Splendent Pignore poſthumo.

Effulget Gothico quam nitidum polo
Sidus VASIADES, cui Patriis iubar
Errorum à nebulis vindicat acrius
Magni Religio DEI.

O vitale Tuæ Sarmatiæ Jubar,
Quo TE conſpicuum Gloria lumine
Per ſublime plagis a Gothicis tulit
Ad ſceptrum reducem Patrum!

Illo quot niveæ lucis in eſſedo
Vectari comites ambierant Deæ!

Te

Tecum Sarmatiæ priſca Beatitas,
Et dulcis rediit ſalus.

TU, dum ſæva ferox arma quatit furor,
Miſcetque ancipiti turbine Lechiam;
Curas quam ſapiens dividis & manus,
Bello, Pacis & Artibus!

Hoſtes dextra feros fulmine conterit,
Et carpit meritas præmia laureas:
Læva invitat ovans Caſtalidum choros,
Et ſacris locat Arcibus.

O! ſurge! armiſonas hoſpitibus Deis
Fortunata fores pande ZAMOSTIA!
Surge! & belligeris inclyta laureis
Doctas adiice laureas.

IV.

AUGUSTUS III.

Collegio Leopolienſi ius Academiæ, ac Scientiarum Univerſitatis, iam olim a JOANNE CASIMIRO, A. C. 1661. munifice collatum, denuo confirmat A. C. 1758.

At Tu belligeræ maxima Roſſiæ
Hoc Regina feres Urbs Leoburgica,

Ut

Ut, nulli inferior ſarmatidum Urbium,
Non ſuppar decus ambias?

Hæc, AUGUSTE, Tuo Gloria ſæculo
Servata eſt Superum non ſine numine.
Omni parte ſui noſtra beatitas
Deberi voluit TIBI.

SIGISMUNDIADÆ munera PRINCIPIS
Conferre haud potuit nobilior manus,
At quondam potuit nobilior dies,
Qualem TE PATRE vivimus.

Nam quos illa dies ſæcula viderant,
Heu! ferrugineos ferrea! Tum furor
In ferrum rabidus verterat omnium
Dextras civium & hoſtium!

Ergo muneribus carius aureis
SIGISMUNDIADÆ munus in aureos
Differri placuit PRINCIPE TE dies,
Ævum ſcilicet aureum.

Quum PAX ingenuis circuita Otiis,
Quum iucunda SALUS, æque FAUSTITAS,
Lechæas levibus pervolitant rotis,
Fortunantque colonias.

Hos, AUGUSTE, dies Urbs Leoburgica,
Hoc fauſtum cupiit præſcia ſæculum, &
TE tanto voluit PRINCIPE conſequi
Doctæ ius Academiæ.

AD

AD TITUM POMPONIUM.

Negotiorum laborem alterna requie temperandum esse.

Otio quisquis nec inerte lentam
Approbat vitæ tolerare tabem;
Perpetem fessi, Tite, nec laborem
Sustinet ævi:

Tetricas grata vice fallat horas,
Seriis & nunc operosus instet
Impiger curis, modo mutet apto
Seria ludo.

Tædium longo comes it labori;
Tædium longæ comes it quieti.
Nuspiam fixas posuere mentis
Gaudia sedes.

Vive, Te Parvum memor esse Mundum.
Lege qua Magnus regiturque Mundus,
Cautus errorum, moderare certæ
Munia vitæ.

Cernis, alternos ut eunt in orbes
Jam Dies? iam Nox? vigil ille curis,
Ista curarum immemor, ac inerti
Dedita somno?

Æmulo prudens tua verte gyro,
Efficax & nunc grave munus urge:

Nunc

Nunc iocos inter levis otioso
Diffluе lusu.

AD VENCESLAUM REVUSCIUM PALATINUM CRACOVIEN. COPIARUM REGNI DUCTOREM,

Quum eius orationem, A. C. 1760. Varsaviæ in Senatus Consilio habitam, Latine reddidisset auctor eodem anno.

QUAE Facundia Nobilis,
Divino ingenii concita flumine,
Altis lenior amnibus,
Et plenis eadem plenior amnibus,
Immotum tenet aureo
AUGUSTUM Patriæ pro solio Patrem,
Intenditque potentius?
Quæ vis Eloquii Purpureum rapit
Mirantum Procerum Ordinem?
TU! TU fixa tenes unicus omnium
In TE lumina frontium,
O prælustre Togæ Sarmatidis Jubar,
O prælustre Jubar sagi,
REVUSCI, Patriæ nobile Curiæ
Lumen, consilii Cato:
Idemque indomita nobilis indole
Castris in Patriis Fabi!
In TE versa stupent ora Quiritium,

Et

Et totus TYBI REX vacat.
Nam quæ ſuada favo dulcior Attico
Labris inſidet in Tuis!
Illâ TU Pylium vincere Neſtora,
Et blandum potes Orphea:
Illa Atlantiaden æmulus imparem
Pulchre viceris alitem,
Quis tantam eloquii vim deus indidit?
Quæ tantum Charites decus?
Illæ nempe ſacri pectoris hoſpites,
Queis Mens eſt adytum Tua,
Communem Pietas in Patriam, & Fides,
Et REGUM Reverentia.
Hoc! hoc multiplici numine percitus
Illa oracula ſuderas!
CIVES! belligeri Progenies Lechi!
Stat Succurrere lubricæ
In caſum Patriæ? ſtat pereuntibus
Certam rebus opem boni
Adferre unanimes munere conſili?
LIBERTAS iuvat aurea?
Sic VOS dia SALUS, ſic bona FAUSTITAS,
Sic VOS PAX amet, & QUIES!
Ite in concilium, cui PIETAS, cui
Sincera in PATRIAM FIDES:
Cui ſit Præſes AMOR, cui REVERENTIA,
AUGUSTI PATRIÆ PATRIS!
Semper prompta bonis civibus eſt ſalus:
Diſcordes chaos opprimet.

AD

AD IGNATIUM CETNERUM
PAL. BELZ.

Literatos Viros, in primis vero Poëticæ Arti deditos, Procerum gratiam benevolentiamque non immerito ambire.

Nil præter atri criminis impios
Damnavit auſus, cui Ratio ducem
Se præbet, ac vitæ gubernat
Conſilio ſapiente curſum.

Damnoſa multis res alios iuvat:
Turpatque quendam, quod decet alterum.
Probroſa Regnis Regibusque
Pauperies decus eſt ſophorum.

Res ille natus vertere publicas,
Regnare pernix callidus Ambitus,
Privata fidus Literatæ
Regna parat ſtabilitque Genti.

Non, ſi Togatis albus honoribus
Inſtet petitor, nec ſibi publice
Sellasque ſi poſcat curules,
Purpureum Trabeæque lumen;

Nil ambit horum, ſplendidior ſuis
Privatus umbris. At ſuus eſt honos
Illuſtrium claris Virorum
Judiciis, Procerumque ſenſu,

Flo-

Florere culti laudibus ingeni,
Pulchraque linguæ ac divite copia,
Quam vindicem crimen pavescat,
Qua cupiat generosa Virtus

Palam probari: poscat & eximi
Obliviosi funere temporis:
Qua nomen Heroum, memorque
Se celebret sine fine Fama.

His me decorum certet honoribus
Ornare vatem nobilis Ambitus.
Divina tum se vena mentis
Flumineo spatiosa raptu

Profundet ampli ditior Eloqui:
Tum plenus alto pectora spiritu
Mortale nil volvam, superque
Pegaseis vehar astra pennis.

Ingens honestis admovet ausibus
Laus vera calcar, quo sine debilis
Urgere gressum, vix profana
Reptat humo lutulenta Virtus.

SOL ipse claro conspicuus die
Intendit igneis, & iubar acrius:
At dormienti spreta Mundo
Quàm tenui face Luna languet!

Quum

Quum, restituta Germaniæ pace, AUGUSTUS III. REX POL. iter in Saxoniam appararet A. C. 1763.

Tandem furores erubuit suos
Armatus Orbis. Frangite, frangite
Devota diris arma Genteis,
Sacrilegæ scelus arma dextræ!

Quos prona magnos terra colit deos,
Vane cruentam laudis adoream
Sprevere REGES, atque pacem,
Pacificas agitantque curas.

Ergo potentes qua præeunt dei,
Sequamur ultro. Pax iuvet, impios
Exosa Gradivi tumultus,
Et rabidi mala dira belli.

Fallor? serenæ risit amœnior
An vultus æthræ? Risit! & horridas
Aurora nubes, fulminumque
Horrificos procul egit igneis!

Æterna Divûm stant bipatentibus
Aperta valvis atria: lucido
Terras revisens PAX relictas
Provehitur per inane curru!

Utrumque Divæ consociant latus,
Et usque terris exul Amœnitas,
Et Fas, Fidesque, & ponderoso
Copia conspicienda cornu.

Vi-

Videre pompam Regna iacentibus
Porrecta terris, & quater editus
  Per arva, per ſylvas, per urbeis,
    Ingeminans ferit aſtra plauſus.

At reſtitutæ cui ſua Maximo
Beata Pacis munera Vindici,
  AUGUSTE, debet iam quietus
    Prælia poſt, aciesque, Saxo,

Ut TE Parentis nomine millies
In aſtra lætus tollit! ut omnibus
  Votisque TE, ſuſpiriisque,
    Illa ſuam vocat ora Lucem!

Seu ſol eoo ſurgit ab æquore,
Meridianis ſeu flagrat ignibus,
  Seu pronus Atlantem reviſit,
    Hunc pueri; viduæque matres,

Rarusque paſtor, carmine poſtulant;
Qua mane primo, qua medio die,
  Qua TE revertentem ſuprema
    Occiduus regione vidit.

TE ſeſſa celſis oppida turribus,
Arcesque ſpectant: TE reducem iuga
  Montana ſublatis videre
    Verticibus, cupiuntque ſylvis.

TE dum requirunt flumina, priſtinos
Mutare curſus, dextraque geſtiunt
  Per arva labi, qua Lechæum
    Mane novo plaga ſpectat ortum.

Hæc

Hæc ſi moraris vota, potentior
Accendet ignis. TE Tua Pignora,
  NATUSQUE PRINCEPS PATREM, AVUMque,
    Dulce decus cupiunt NEPOTES.

I. curre fauſtis perge volucribus
I. præſtolanti baſia divide
  Turbæ Tuorum, mutuisque
    Deliciis fruere oculorum.

Beata quæ TE PRINCIPE Lechia
In REGE PATREM diligit Optimum,
  Colitque; votis proſequetur,
    Incolumem cupiens redire.

In horrendum multiplicis parricidii ſcelus per quod plurium Regni Procerum vita fuit attentata Varſaviæ A. C. 1761. pridie nonas apriles, carmen IGNATIO SOLTICO PRINCIPI EPISC. CRACOV. *qui graviſſimi illius periculis pars magna fuit, dedicatum.*

I.

Quam concors TIBI gratulationem,
PRINCEPS Maxime, PRINCIPUMque ſidus,

 De-

Desert Pegasidum chorus clientum,
Hæc si sera TIBI videtur esse,
Causis da placidam benignus aurem,
Et promptam obsequio videbis esse.
Dirum sacrilegæ scelus ruinæ
Quem terris dedit omnibus fragorem,
Illo Cynthus adhuc, duplexque nutat
Parnassi caput, et tremit Cytheron.
Hic vocem stupor, hic ademit horror:
Hic mutas tenuit pavor Camœnas.

II.

Servatorum ab ea clade Procerum soteria.

O! surge Divis grata faventibus,
Regina terris inclyta Lechia,
Arasque dudum præstolanteis
Regificis cumulato donis!

Jam lacrymosis fœta periculis,
Multoque turgens funere machina,
In flebilem quondam ruinam,
Inque tui exitium Senatus,

Disrupta casso fulmine concidit,
Vano et per auras detonuit metu:
At architectus se faberque,
Dente furor laniat cruento.

Ille et flagrantes, qua rabie fremens!
Stridente mordax ore vorat faces,
Non efficaces ultus igneis,
Et vacuas male sanus iras.

O!

O! surge tantæ munere Cœlitum
Erepta cladi, surge Polonia,
Et grata præsentem supremi
Rite PATRIS venerare dextram.

Nam quo Tuorum tot Procerum salus
Filo pependit! quo Tua! concutit
Horrore vel pridem remotus
Ossa pavor, trepidamque mentem.

Ergo supremo functa periculo,
Votiva sacris dona fer Aedibus,
Est, quem sequaris præit ingens
Eximia pietate PRÆSUL.

Quot perlitavit rite piantibus
Immane crimen primus hic hostiis!
Cælestibus quot consecratas
Muneribus cumulavit Aras!

O Magne Avorum sanguine, sed Tuo
SOLTIGE Major promeriti gradu,
Vive, et beati mactus ævi
Sacra Patrum, Patriamque serva!

III.

In sacrilegum illius parricidii architectum diræ.

Quo exasperatum, quo, satis imbuas
O Musa carmen felle? quibus petas
Aculeis æterna vindex
Probrum hominum, nocuamque pestem?

 Qu-

Queis imo diris devoveas caput
Immane, tetrum, monſtrificum, impium,
Quod oderit frendens avernus,
Quodque feræ Eumenides paveſcant?

Crudele monſtrum! vipera! ſæculi
Æterna labes! virus atrox! hydra!
Quis hunc tibi dirus furorem,
Quis rabiem ingeneravit orcus?

Humana, credo, non potuit ſcelus
Tam criminoſum, tam parere impium,
Sed quæ Mimantem, quæ Typhoea,
Quæ reliquos, fera monſtra, fratres,

Diis perduellem progenuit manum,
Phlegræa mater, quod reliquum ſinu
Reſtabat effœto veneni,
Inde tuos animavit artus.

Ac, ne Gigantum quis genus impium
Neſciret, atrox non humili ſuror
In cæde bacchatur deorum
Bella placent, cruor et deorum.

O execrandum, o dignum erebo caput!
Quo te perennis ſupplicii gradu
Timendus umbrarum triumvir,
Qua perimet Rhadamanthus ira!

JO-

JOANNI BRANICIO CASTELLANO, ET VENCESLAO REVUSCIO PALATINO, CRACOVIENSIBUS: COPIARUM REGNI DUCIBUS: SENATUS PRINCIPIBUS:

Quum eximios iſtos honores conſecuti eſſent.

M. DCC. LXII.

Cracias poſtquam geminis curules
Patrio Princeps Honor in Senatu
Contulit belli Ducibus, ſagumque
Induit oſtro;

Ilicet centum vaga plauſit alis,
Præpeti pigras iit et volatu
Fama per nubes, tetigitque ſummi
Culmina cæli.

Inde vocalis lituisque centum,
Et tubis centum, cecinit Lechaeo
Fauſta, nec ſeris reticenda ſæclis
Nuntia Regno.

Cracii plauſu ſonuere monteis,
Craciæ plauſu ſonuere valleis,
Geſtiunt flexo rigidæque turreis
Plaudere collo.

Ipſe vicino ſuper arma clivo
Qui cubat CRACUS Pater, inſolenti

Ex-

Excitus plauſu, diuturna feſſus
Somnia rupit.

Rupit et geſtis celebrata bellis,
Patrias armis imitata laudes,
Proximo VANDE placidum quieſcens
Monte Virago.

Utque plaudendi didicere cauſas,
Ferreos ambo rapuere contos,
Ambo ter quaſſis ſua prodidere
Gaudia ſcutis.

Quin Pater, priſca gravitate, canam
Ter manu barbam, ter et ora mulcens,
Iſta laxato venerandus ore
Addidit augur.

„ Bellicis primas Patrii Senatus
„ Donat AUGUSTUS Ducibus curules?
„ Auguror longæ ſtabilivit armis
„ Otia Pacis.

O! diu, PRINCEPS, veges omen imple!
O Duces belli, gemini Senatus
Principes, longum ſtabilite in ævum
Otia Pacis!

De

De ſua vita ruſtica

AD JOSEPH. PRINCIPEM CORIBUTUM VORONIECIUM.

QUÆ me rure tenent commoda pauperis
Hærentem tuguri ſtramineo lare,
Paucis rem CORIBUTE
PRINCEPS verſibus accipe.

Aſpirat meritum feſſus ad otium
Siquis jure labor, ſcilicet id meo
Jam dudum licuiſſe,
Non pugnabis iniquior.

At quo, dic age jam, ridet amœnior,
Et quo blanda Quies blandior eſt loco,
Quam, quæ rure beato
Conſedit procul urbibus?

Curæ, ſoliciti dira Negotii
Proles, Belidibus non numero minor,
Non harpyis feritate,
Urbano volitant foro:

Sellis atque Patres pone curulibus
Crudeles, et equis poſt Equites ſedent,
Doctorumque cathedris;
Et ſacras quatiunt fores.

At PAX tonſilibus vincta oleis comam,
Et diſcincta ſinus Otia candidos,
Et pertæſa tumultus
Sacrum rus petiit Quies.

Rus

Rus dulce hoſpitio ficelides deæ
Sacravere ſuo, dum modo vallibus
Decertant, modo ſummis
Exercere choros jugis.

Ruris deliciæ, ruris opes, bonis
Sunt cordi Superis. Rus Bromius Pater,
Rus Pomona, ceresque,
Rus ditat bona Copia.

Rus vernis placidum ridet Eteſiis:
Rus umbris nemorum, rus liquidis graves
Lenit fontibus æſtus,
Rus largis hyemes focis.

Ruri Lætitiæ feſtum agitant diem
Ruri gramineis noctifer in thoris
Ducit ſomnia Morpheus,
Ruri dia manet ſalus.

O rus! o animi delicium mei!
Tu me, tu memorem SEMBECIDÆ Patris
Inter dulcia Vatem
Serves carmina, et otia!

VEN-

VENCESLAO REVUSCIO PALATINO CRACOV. EXERCITUUM DUCI. ALCÆO POLONO, MARTIS ÆQUE, AC MUSARUM CULTORI.

Horatianæ quid modulos Lyræ
Urgere tanto te ſtudio juvat
DUX Magne? Vatis laus Horati
Tê minor eſt potes eſſe Cæſar.

Humana certis munia finibus
Dum cautus æqui divideret DEUS,
Cantare juſſi Regna Vates,
Regibus eſt data cura Vatum.



FRANCISCI M. LESNIEVII

LYRICORUM LIBER II.

AD. AURELIUM POSTHUMUM PUERUM.

Studia et occupationes puerorum de virili eorum ætate vaticinari.

Altera pars luſtri tibi Poſthume tertii propinquat,
Et appetentis commonet iuventæ
Ergo, ut prætextâ niteas puer, aureaque bulla;
Prælude felix iam togæ virili
Nulla prior pomis eſt gratia, nulla major uvis,
Quam gloriari præcoci ſapore
At puer, egregium cui nobilis indoles honeſtum
Incoxit imis pectoris medullis,
Strenuus a primis ſtudet unguibus occupare laudem,
Qua grandis olim ſe virum probabit.
Quanto ille in Patriam ſtudio pius efferetur heros,
Jam nunc puellus monſtrat in Parentes.
Quondam ut de caris cupiet bene Civibus mereri,
Portendit æquos blandus in Sodales.
Imperia ut Regum venerabitur, obſequi fidelis,
Puſo imperantes prævident Magiſtri.
Quamque adeo partem ille Rei tibi Publicae capeſſet,
Eſt ipſe vates innocente luſu.

Ap-

Appetit infeſtis pueros puer, execrante matre,
Geſturus olim bella miles, armis.
Agmina diſpoſitis alius trahit ordinata ſignis:
Ducem videbunt caſtra militarem.
Ille alius, dextro qui Numine deſtinatur Aris,
Adornat Aras, & litat Sacerdos.
Mox idem e tumulo ſublimior, obviove ſaxo,
Manus, modisque attollit ora miris,
Ut circumfuſæ quid neſcio ſuadeat coronæ,
Orator infans agminis tenelli.
Denique diſpoſitos longo ordine, ſupplicantiumque
Ritu caneteis anteit canorus.
Aſt ubi dilapſos tandem videt ille Curiales,
Furtim paternos ſedulus libellos,
Spectante, & ſua gaudia præcipiente matre, verſat,
Lætus volutis ſusque deque chartis.
Sed quid ego multis te Poſthume? jam tuis paternas
Contende factis explicare curas.
Spemque, metumque inter, de te pater anxius laborat:
Quod es futurus, vir, puellus eſto.

AD

AD REVUSCIUM PALAT CRACOV. *Maritum viduum, nec non ad ſuos Liberos pupillos*, ANNÆ PRINCIPIS LUBOMIRSCIÆ, *conjugis optimæ, Matris cariſſimæ, acerba fata jam diu complorantes, conſolatio.*

Sat iam dolori, ſat lacrymis datum:
Lugere raptæ funera Conjugis
Abſiſte Conjux: Liberorum
Ne gemitu pia turba Matrem

Repoſce fruſtra. Stant adamantinis
Obducta leti limina vectibus.
Adire quivis debet olim,
Nemo poteſt revocare Manes.

Sed cruda duræ jura Proſerpinæ,
Viamque Lethes irremeabilem,
Vulgus queratur: nos beatum
Elyſii nemus, atque Magnis

Parata vitæ præmia Mentibus,
Nos invidendæ mortis adoream,
Et Regna, et æternum canamus
Imperium melioris ævi.

Quicunque labis purus, et integros
Servare mores religioſior,
Exegit ævum, neſcit atri
Exilium tenebrasque leti.

Illum

Illum relicto corpore liberum
Æterna paſſis protinus Æquitas
Excepit ulnis, ac beato
Conſpicuum dedit ire Regno.

Illis Bonorum degere ſedibus,
Illa beatam vivere Patria,
Sponſamne Vir, Matremne felix
Progenies, dubitatis ANNAM?

Hoc illa Virtus, hoc Pietas vetat,
Hoc illa Magni Religio DEI,
Hoc illa caſtæ Sanctitudo
Vos prohibet bene nota vitae.

Mortalis illas non equidem plagas
Introrſus ullis pes adeat viis,
Nec rumpat æternis ahenos
Parietibus, ſuperetque muros:

At clauſa duris porta repagulis
Mortale rimâ lumen, et obvios
Admittit adſpectus, minutum
Exiguæ radiumque lucis.

Illac videri, ni male fallimur,
Arcana poſſunt. Hæc mihi pervios
Furtiva viſus rima nuper
Elyſiis dedit ire campis.

Illac videbam pervigil aureis
Ouantem in hortis, quos adamantini
Corona muri, gemmeæque
Circumeunt, decora alta, turreis.

Lu-

Ludunt venuſtis aurea nutibus
Per prata flores, quos Zephyrus levi
Laceſſit aura, vitreique
Ambroſiæ ſecuere rivi.

Alit perenneis arboribus comas,
Floremque Chloris: dives at aureo
Pomona fructu prægravatas
Pergit agens onerare frondeis

Heic denſa Magnis agmina Mentibus
Colleisque læto carmine perſonant,
Longasque valleis, ac amœnos
Heſperidum, nemora alta, lucos.

Heic mille pulchris cincta phalangibus,
Auguſtiori ſe ſpecie tulit,
Heroidum duxitque turmas,
Elyſii jubar ANNA Regni.

Latus Parentis parvula candidi
Cinxere Nati turba, prioribus
Huc acta fatis, perditamque
Geſtit ovans reperiſſe Matrem.

At illa plexis grandia liliis
Turbae innocenti ſerta volubiles
Nectebat in nodos, ſuamque
Cuique dabat capiti coronam.

Nec plura vidi. Maximus obruit
Splendor tuentem. Sed melius tamen
Quid illa poſcat, tam beato
Perpetuum fruitura Regno?

Cap-

Capta occaſione ex morte

DIVI AUGUSTI III.

Poloniarum REGIS, publica Patriæ mala et pericula deplorat.

Heu! quem Cœlituum Tibi,
Nutanti Imperio quem Superûm invoces,
Priſci Publica Res Lechi!
Magnæ tota ſpei ſumma volucribus.
Ivit ludibrium Notis,
Dum rerum Columen jam levis eſt cinis
AUGUSTUS Patriæ Pater.
O quam præcipitem, et quam pede lubrico,
Occaſura tenes locum!
Expers conſilii mole ruit ſua,
Quamvis robore vis valet:
Quo præceps igitur corruet impete
Moles, cui neque conſili,
Nec quicquam reliquum roboris eſt ſuper,
In caſum tamen omnibus
Urgetur nimium feſſa periculis?
Martem ac arma frementibus
Euris atque Notis natat et Africis;
Nec ſolum: interius quoque
Diſcors ipſa ſibi ſcinditur, ac ſuis
Depugnat ſibi partibus.
O priſca in Patriam, ſanctaque Caritas!
O Legum Reverentia!
O expers dolos Conſilii Fides!
O Concordia Civium!

O Pat-

O Patrum Pietas! jam mera nomina,
Et vix nota Nepotibus:
Vos, DIVÆ unanimes, degener, et bonis
Difcors Pofteritas Avis,
Heu! noftra impulimus cedere Patria
In veftrum reduces Polum:
At tandem fceleris pœnitet impii.
Clementes miferefcite!
Ah! tot criminibus difpereuntium
Vos flectat miferatio!
Jam paffim Ambitio, jam violentius
Auri facra furit fames:
Jam mollivit iners luxus in otium,
Diffolvitque animos mares.
Sævit diffidiis livor atrocibus,
Et fraus perfidiæ comes.
Urget nuda latus pauperies gradum,
Heu! probrum grave Publico!
Mox, ni profpicitis, de ftygio ruent
In cædem furiæ fpecu,
Quas ftridente gravis compede fervitus,
Et dirum excipiet chaos.

AD

AD LEONEM RAUCHIVM S. I. REGIUM AUGUSTI III. THEOLOGUM.

O! quis me vitrei flumine Viftulæ,
Seu puri potius Regna per ætheris,
Cygnêo properum remigio celer
Phœbêum vehat alitem!

Fallor? cæruleis an feror æmulus
Cœlo Pegafeus navita nubibus?
Sic eft! jam liquido provehor æthere,
Jam terræ fola defpicor.

Me pennis Zephyrus, me Calais puer,
Portant nigra fuper nubila remiges,
Et, quæ Regna petant, quas adeant plagas,
Obverfis rogitant genis.

O! me frugiferæ pulchra Mafoviæ,
Altum Regna fuper fiftite, Regiis
Qua fublime caput turribus extulit
Urbs Regum domus inclyta!

Illic fidereo penfilis æthere
Ter vaftum obvolitem mœnia defuper
In gyrum, triplici limite Regiam
Lætus circumeam domum.

Ter Magni venerer Numina PRINCIPIS:
Ter faufto jubeam profpera carmine,
AUGUSTUM, folii grande jubar fui,
Lætum vivere fæcula.

Exin

Exin Regificæ Lumina Curiæ,
Regalisque colam Pignora Sanguinis:
Demum Purpureos Sarmatiæ Patres,
Summi Oracula Confili.

Poſt Magnos Proceres prima Tibi ſalus,
Primus cedat honos, Religio cui,
Cui Magni Pietas PRINCIPIS Arbitro
Se ſe tam bene credidit.

Te! Te! ſacrificis ſeu pia ritibus
Myſtes liba Deo reddis, & hoſtias,
Seu Regalem animum Sidereæ imbuis
Præceptis Sapientiæ;

Seu patrocinium, Pauperies Tuum,
Aut oppreſſa malis artibus Æquitas
Imploravit opem, Teque graviſſimo
Pallent Crimina Vindice,

Te, RAUCHI, venerer. Te celer arduo
In terras ſubito lapſus ab æthere,
Et magnæ ſubiens limina Regiæ,
Juſtis digner honoribus.

Nec ſolus veniam. Me Leoburgicus
Hinc atque hinc comitum Pieridum chorus,
Me lecta omnigenis turba Scientiis,
Conferto premat agmine.

Tunc et mille Tibi laudibus inſonet,
Et mille eximiis Regia gratiis:
Tunc Te tota ſuum læta colat Patrem,
Patronumque ACADEMIA.

In

In natalem REVUSCII DUCIS *diem.*

Phœbe Muſarum citharæque Præſes,
Phœbe labentis Moderator anni,
Siderum Princeps, Pater aureorum
Phœbe dierum:

Explica præter ſolitum ſereni,
Explica læti jubar omne vultus,
Auctor ac lucis quate non profeſto
Æthera curru.

Te ſequi pernix alacrisque turba,
Candidæ circum glomerentur Horæ,
Et revolvendis reduces in orbem
Menſibus Anni.

Hac diem par eſt celebrare pompa
Inclytam natitrabeis REVUSCI,
Prima quæ tantum jubar auſpicato
Protulit ortu.

Æmulam Cœlis mihi Terra pompam
Inſtruet feſto ſpecioſa cultu.
Ipſe placandis prætioſa DIVIS
Munera Solvam.

Pone frondentem mihi Chloris Aram,
Quam ſuper ſacris Nabathæá flammis,
Quam ſuper fument pretioſa frugis
Dona Ciliſſæ.

 His

His ego Diæ lito dum SALUTI
In Podhorcensi nemoris recessu
Pastor, umbroso Dryades choream
Ducite luco.

Musicos addent numeros agrestis
Turba Faunorum, gracilique pangent
Fistula lætum, quod ovilla rumpant
Tympana, carmen.

Tu Deas inter speciosa cunctas,
O SALUS, votis ades, atque Magni
Perpetes vitam reparans REVUSCI
Profer in annos.

AD IGNATIUM CETNERUM PALAT. BELZ. *Viros Principes immortalem parere sibi gloriam, si, quod studium ob negotia publica impendere non possint Literis, id benevole impendant Literatis.*

Lechæi Columen, primaque Lux, et Jubar Imperi,
O CETNERE Virûm dulce decus Mercurialium,
Si vel Socraticæ cura gravis TE sapientiæ
Clarendi studio, ceu stimulis incitet acribus;
Culti planities Eloquii vel pede libero
Campos ire vocet per Latios, quà liquidis ruit Arpinas fluviis, conspicuus margine floreo;

Umbrosum cupias Castalidum visere seu nemus,
Nympharumque leves ad citharam cum satyris choros:
Currenti interea vim faciat justa Necessitas,
Et vel sancta roget suppetias Patria publicas,
Quas Tu sive fide consilii, sive feras manu;
Vel privata petant vindicias jura clientium,
Ne qua sive dolus prævaleat, sive potentia;
TE perdenda nihil commoveant lucra scientiæ,
Quæ multo uberior restituet mox Tibi Copia.
Magnos constituit quos Proceres in populo DEUS,
Illis non humilem promeriti proposuit viam,
Nec tritam populo. TE solidæ si sapientiæ
Immortale decus, docta Sacræ et præmia Laureæ
Incendunt cupidum, quam teneas, indicat orbitam
Mecænas atavis progenies edita Regibus.
Huic doctarum hederas imposuit præmia frontium
Vates ille, novus Romulei pectinis Orpheus:
Hunc Andinus olor sidereis intulit arcibus.
Te si Deiphilus, Pieriæ debilior lyræ,
Sublimem nequeat pro meritis tollere in æthera,
Certatim socii suppetias Arcades offerent.
His Tu per liquidi regna poli vectus oloribus
Sublimi feries conspicuus vertice sidera.

Ca-

Calamitoſorum temporum conſolatio. Ex Polonico Melchioris Stavenii S. I.

Furore pontus mugiat, inferos
Diſrupta tellus pandat, ab ultimis
Illata nos cœlis ruina
Concutiat, tamen uſque ſtamus.

Stamus, manusque attollimus, et caput,
Paterna verſus lumina Numinis,
Quod noſtra, quod terræ, polique,
Fata manu omnipotente verſat.

Confido, Cana quæ Galilæïde
Undas Lyæo, vertet et hos quoque,
Si MATER accedat, dolores
Lætitiis celer hora JESU.

Clamemus alto vortice naufragi,
„ Heu diſperimus! ſuppetias, DEUS!
Sopore mox JESUS ſugato
Naviſragas cohibebit undas.

Obſeſſa paucos perfer adhuc dies
Hoſtile bellum cara Bethulia.
Juditha cælo lapſa dirum
Enſe ſuo ingulabit hoſtem.

Sed præſtolari quid iubeo dies,
Quas hora forſan ſuppetias feret,
Si Joſuë ſiſtat cadentem
Hoſte ſuper moriente ſolem?

Jac-

Jactis Davidem Semeides probris,
Saxisque præceps bellua vulneret:
Canem vocabit Regis Aula,
Rex tacitus feret inſolentem.

Jubente, dicet Numine percitus
Hæc iſte noſtrum coniicit in caput,
Vetante ceſſabit: nocentis
Ipſe Deus premet ora Vindex.

Aut Balaamo qualiter ignei
Obiecit olim fulgur acinacis,
Jumenta vel per, juſſa fari,
Probra ſui Populi retundet.

Aut criminantum mille nefarias
In monſtra linguas dividet, et ſibi
Pugnare diſcordes jubebit
Monſtrificæ figulos Babelis.

In nos furorem barbarus evomat
Amanus omnem: conſcia turbidas
Si placet iras Regis Eſther,
Suſtulerit ſuus uncus hoſtem.

Eat cruentis præda leonibus
Vates, amicus Numinis intimus,
Eat, ſceleſti! parcet illi,
Vos perimet rabies leonum.

Sic et Caïnus, ſic et Eſavides,
Sævi immerentum fratrum odiis furunt.
Quid egit infandas utrumque
Infurias? odioſa virtus!

Lux,

Lux, vita, Joseph Ilacidæ patris,
Heu! invidentum deflagrat innocens
Furore fratrum, patrioque
Eiicitur lare, servus; exul!

Sed parva, fratres, parva mora est, scelus
Damnare quum vos pæna adiget celer,
Immane dum justo luetis
Flagitium exanimes pavore.

Cœno procacis mersa calumniæ
Emerget olim splendida Veritas.
Maligna frustra Fraus doloso
Fœda sibi linit ora fuco.

Immota siccis hæc mihi faucibus
Lingua obrigescat, si Tua sontibus
Permissa condemnet querelis,
Magne hominum superumque Rector.

Si labe culpæ sordidus inquinor,
Æruginosis hæc mihi moribus
Sit lima, quæso. Culpa nulla est?
Hæc nitidum mage lima reddet.

Quo militamus sub duce, vindicem
Olim innocentum se profitebitur;
Si, quo ferebat mitis ille,
Ferre animo probra nos videbis.

Ah! ille mutam se laniis ovem
Præbet, Paternis victima honoribus!
At vindicabit mox tremente
Innocuum Pater Ultor Orbe.

O!

O! qui vel inter verbera deviis
Inflicta natis dulcem animum geris,
Sævumque mandans verber igni,
Ut fueras, Pater esse pergis,

Fac, sive mulcens, seu feriens bonos
Fac obsequenteis nos Tibi filios!
Te PATRE fretos, atque MATRE,
Mille premant mala, nulla frangent.

AD REVUSCIOS PALATINI. CRACOV. *Filios, Juvenes lectissimos.*

Quum illis Foquiani apud Chinas montis descriptionem, Illustrissimo Patri suo tradendam, commendaret Auctor.

Lux, et solicitæ spes Patriæ prima, REVUSCIDÆ,
Priscas barbaricæ reliquias magnificentiæ,
Dudum polliciti Magnanimo quod ferimus Patri
Munus, Parrhasio Deiphili nomine reddite.
A Vestra pretium, quidquid id est, accipiet manu.

At

At Vos nobilius DUXque Pater, Caraque Patria,
O Clari Juvenes, poſcit opus, quod ſtupeat minor
Ævi Poſteritas, et meritis laudibus efferat,
Nullis ad pretium non celebrans Gloria ſæculis.

Non veſtra in luteis expetitur cura Gigantibus,
Quos vel ſciſſus Athos monſtrifica Dinocratis manu
In pugnum impoſitis conſpicuos exſtruat urbibus,
Vel quos prodigiis adnumerent ſeres inanibus *)

Vos vivam memores hiſtorias inter imaginem
Quæ Magnos animis, & meritis in Patriam, Viros
Æternum referat, Lechigenis linquite Poſteris.

Quodſi

*) *Inter ſinenſia miracula : inquit Juvencius hiſtoriæ S. I. parte V. tomo poſter. Lib. XIX. §. XVI. n. 36. merito locum obtinet mons Fokienſis Provinciæ editiſſimus, ac totus iu ſtatuæ immanis ſimilitudinem labore incredibili ſciſſus formatusque. Hanc* Idoli FO *ſtatuam eſſe volunt, cui mons ipſe ſacer ac dedicatus eſt.* Oculorum *orbes multa paſſuum millia complectuntur : naſus in leucas complures porrigitur ; manuum ac pedum longitudo par . . .*

Quodſi difficilis formam operis poſcitis et modum,
In LUBOMIRIOS Matris Avos, inque REVUSCIOS,
Majores Patrii Nominis, et ſanguinis, inclytos,
Nusquam hæc effigies nobilior, lumina figite.

Immo nil opus eſt a Proavis longius expeti,
Quam Fortuna domi, præque oculis, fixit imaginem.
Vos ut ſera VIROS ſuſpiciant ſæcula MAXIMOS,
PATREM promeritis, PATREM animis, reddite FILII.

VIRGINI DEI - HOMINIS MATRI

Pro pecorum et frugum incolumitate carmen votivum.

Æterna VIRGO, Magna PARENS DEI,
Quæ læta tantum promeriti decus
Mortalis in turbæ levamen
Munifica pietate confers,

Plenoque tendis iure clientium
Mater vocari, quo miſeris opem,
Quo larga diſpenſes egenis
Dona, animo & pietate mater :

Si

Si TE professis religionibus
Solo minorem suspicimus DEO,
Votis Patronam si vocamus,
Si positis veneramur Aris;

Defende fessis o! gregibus mali
Contaminatos sideris halitus,
Defende contactus, agrisque
Subsidium, acricolisque serva!

Defende flavis frugibus humidas
Benigna pestes, & pluvium iovem:
TE quippe Reginam, Tuosque
Prona colunt elementa nutus.

Hoc tuta late præsidio Tuæ
Devota laudi rura clientium
TE prata, TE campos docebunt,
Te virides resonare sylvas.

TE, sive lento proruet impiger
Glebas aratro cultor, agrestibus
Seu plena ducet plaustra donis,
Perget ovans cecinisse messor.

TE luce prima, TE medio die,
TE rorulentum multus ad hesperum,
Pertesqua pastor, TE puellae
Astra super, puerique tollent.

Votiva totus denique munera
TIBI dicatis sufficiet tholis,
Ut quisque confertis adibit
Ordinibus Tua Templa pagus.

Na-

Natalis diei gratulatio,

MATTHIÆ SZEMBECO S. I. RECTORI *suo, rure missa.*

Sacrum, Castalides, diem
Et cantu citharæ, et dicite tibiæ, &
Læto dicite carmine:
Natalis Patris est, Præsidii et mei,
Et dulcis Decoris, dies.
Illi de niveis munus ovilibus
Centum lactea cymbia,
Centum de tenero lanigeros grege,
Pastor Deiphilus lito.
Illi Pierii pectine barbiti,
Et sacræ fidibus lyræ,
Centum pro meritis carmina laudibus
Pastor Deiphilus cano.
Nam seu rustica me prædia villicum,
Armenta inter & horrea,
Jucunda recreant solicitudine,
Fallentem mala temporum;
Assuetis animum seu juvat artibus,
Heu! spretis alibi artibus!
Ceu postliminio reddere, et auream
Exercere manu chelyn;
Hoc uno pretium ducit ab arbitro,
Qui me cunque tenet labor.
Me saperda Chremes vituperet, Macer
Me Gaurus canis allatret.
Dignus Palladiæ frondis honoribus
Hoc si judice censeor,
Jam cœlos ferio, nec reliquam inclytus
Quicquam barbariem moror.

IN

IN BAVIUM.

Obtufi ftupor ingeni!
Quæ mentem rabies exagitat tuam?
Qui pectus furor incitat?
Tu te nobilibus jungere Vatibus
Audes? corvus oloribus?
Tu? ftrix lufciniis? rana palumbibus?
Tandem ftultitiæ modum,
Infanoque catus pone cupidini,
Iratis veterem nova
Ne Mufis iteres fabula Marfyam.
Infanabile vel tibi
Ardet peftifero fi jecur ulcere,
Et te Parrhafis invidum
Tendit Deiphili rumpere laurea;
I, quo te rapiunt tuæ
Amentem furiæ. Proficiet tuis
Felix Deiphilus malis.
Nam Vatum in numero qui mediocrium
Vix æquo pede conftitit;
Adfiftet propior dum tibi peffimo,
In te protinus omnium.
Converfis odiis optimus audiet.

AD

AD VIRGINEM DEI MATREM.

Pretiofi doni, quod ANNA de POTOCIIS CETNERIA ad ejus Aram appendendum curavit, dedicatio.

Cœlitum Princeps hominumque, VIRGO,
Prima poft Summum veneranda NUMEN,
Cui fuam debent utriusque Mundi
Regna falutem.

Siderum fic TE veneretur Aula;
Æmulos Divum Tibi fic honores,
Æmulas certet plaga quæque terræ
Solvere laudes:

Qua TIBI fedes data dextra MATRI
Propter Æterni folium Tonantis,
Inde fac blando, Bona DIVA, Genteis
Refpice vultu.

Cernis, ut Roffæ plaga culta terræ,
Qua Jaroslaus dedit Auctor Urbi
Nomen et muros, Tibi pro dicatis
Supplicat Aris?

Cernis, ut denfis fpatiofa turmis
Fluctuant circum Tibi facra Tempe?
Cernis ut plebis Procerumque late
Agmina fervent?

Cer-

Cernis o certe propius, Tuumque
Perpetim ſentit locus ipſe Numen!
Sentiunt, quotquot referunt potentis
Dona Patronæ!

Ecce Magnorum ſoboles Parentum
Dedicat ſacrum Tibi nympha munus,
Pulchra Maternæ pietatis Hæres,
Pulchra Paternæ.

Huc proin præſens ades! huc sereni
Lumen obtutus, animique, verte!
Supplicem et blando ſpecioſa vultu
Reſpice dantem!

Aureum ſolis face munus ardet,
Siderum fulgent adamantes igni,
Æmulos cœlis imitatur audax
Machina gyros.

Hoc Tuo donum dicat ANNA Templo,
Hoc dicat ſacris Tibi munus Aris:
Nec tamen gemmis ſua ſpes, nec Indo
Nititur auro.

Integer morum, vitiique purus
Candor intactæ ſine labe mentis,
Si Tui ſemper ſibi vindicavit
Cordis amores;

Si Tibi prolem pietas parentum
Certa commendat, meritis avorum
Si fovet ſeros Tua liberalis
Cura nepotes;

DI-

DIVA, CETNEROS, ſeriem Paterni
Nominis, longo pia profer ævo
Patriæ Patres, capita utriusque
Prima Senatus.

AD IGNATIUM COMITEM CRASICIUM, *jam hodie* PRINCIPEM EPISCOPUM VARMIENSEM, *quum Ejus hortatu, atque impendio Hygiaſticon* LESSI, *Polonica lingua redditum, in lucem ederetur.*

Aurea Phryxéæ ducunt dum vellera lanæ
In vitæ TIBI fila, CRASICI,
Diſtractis fama eſt ſtudia in contraria votis
Ambiguas hæſiſſe Sorores.
Quippe moræ impatiens, lentos pertæſus et annos
Dius Honos „ properate, rogabat,
„ Penſa deæ optato nam quando CRASICIUS ævo
„ Maturus mea vota beabit?
„ Quo me usque intentum ſera illa morabitur ætas,
„ Quæ noſtris ſit idonea donis?
„ Hæc prope in immenſum meritis tam grandibus aucta
„ Exſpectet mea præmia Virtus
„ Longius, ac Vittis dudum digniſſima, pœnas
„ Temporibus perſolvat iniquis?

E „ Quin

,, Quin agite, ut totos currens pro menfibus annos,
,, Præfcriptum celer expleat ævum.
Hæc Honor: at contra Lechicæ Spes publica Gentis,
,, Ah! ne, inquit, fubfcribite cæcis!
,, Ne, Divæ, incautis, oro, fubfcribite votis!
,, Perniciem trahit ifta cupido.
,, Demitis ereptos, properæ cui volvitis annos,
,, Heu! tam dirum crimen in ifta
,, Non pudeat fævas nimium committere vita,
,, Quam defideret effe perennem
,, Publica Spes, atque ipfa Salus, Fortunaque Regni?
,, Obtineat fua præmia Virtus,
,, Sed Populi, fed Regna, diu Virtute fruantur.
,, Si citius feftina peribit,
,, Maxima profperitas, veniat mihi tardius, oro.
,, Tarda moram durando rependunt.
Jam prope vincebat pia Spes, quum Maxima DIVUM
Alma SALUS ita bella diremit.
,, Juftis, illa inquit, pugnant pars utraque votis,
,, Digna fuam ferre utraque palmam.
,, Ergo age, bis fenis tres volvite menfibus orbes,
,, Et celeres decurrite Parcæ.
,, Hos ubi complerit, lento tum pollice longum
,, Cunctantes deducite filum:
,, Æfoniamque Viro faciles æquare fenectam,
,, Et Pyfii date Neftoris annos.
,, Hoc meritus vos pofcit Honos, hoc inclyta Virtus,
,, Hoc Regni Fortuna Poloni.

,, Hoc

,, Hoc votum AUGUSTI eft: hoc et Regina Sacrorum
,, Religio petit omnibus Aris.
,, Heic tu etiam metuis Spes anxia? coniice fidens
,, Iftam in nos, age, coniice curam.
,, Ipfa ego jam dudum cunctis ivi obvia damnis:
,, Longævæ facra pignora vitæ
,, Ipfa dedicaro Capiti: meque ille magiftra
,, Arcanum vitale deorum
,, Condidicit, quale Euganeis in collibus olim
,, Cornarides mihi debuit Heros,
,, Qualeque Leffiades, Sophiæ Cœleftis alumnus,
,, Dilæâ confcripfit in actâ,
,, Meque monente dedit n. ıus mortalibus ægris
,, Arabio prætiofius auro.
,, Sed quid ego jam confpicio? mea dona, CRASICI,
,, Non pateris Tibi cognita foli
,, Tu quoque? et in lucem ad communia commoda profers?
,, O meriti immortalis honorem!
,, Tota Tuam, haud dubita, tanto pro munere, tota
,, Debebit Tibi Patria vitam!

In anniverfarium fui RECTORIS diem.

Aurea lux, Maiis lux excipienda cras calendis,
Alumna blandi delicata Veris,

Ho-

Horrida ſic Aquilo tibi flamina, ſic remittat
Eurus,
Sic innocenti te laceſſat ira,
Inque jocos Zephyrus pellacibus incitet ſuſurris,
Sic fronte ſemper rideat ſerena
Exoriensque tibi Phoebus pater, occidensque ponto,
Et ſuda claris noctibus Diana:
SEMBECIDÆ Patri fauſtum, precor, ordiaris annum,
Qui ſemper Illi candidus, ſerenus,
Vivida longævi per ſæcula Neſtoris recurrat,
Interminato proſperandus ævo.
Præſidis interea meritis Honor annuens, eidem
Faſcesque ſacros præferat regenti,
Invitumque licet, ſolio vehat aureus curuli.
Eſt, cur id optem. Præſit Ille ſummo
Conſpicuus rerum de culmine, mox Bonas beata
Reducet Arteis, et ſovebit Ætas:
Sarmatidique oræ Flaccos dabit, et dabit Marones,
Quos barbarorum ſuſtulit tyrannis.

BEL-

BELZIA
IGNATII CETNERI PALATINI SUI
auſpicato in magiſtratum hunc ingreſſu fortunata. A. C. 1763. Septembri menſe.

Cur, o Prometheu, noſtra pennis brachia
Inſtruere haud libuit,
Mortale dum fingis genus?
Tranare liquidi cur nefas regna ætheris
Alituum domino,
Tranare quæ fas aliti?
Nulli abſoluta contigit beätitas
Munere Coelituum,
Sub ſole quisquis naſcitur.
O! quis remotæ me ſtitiſſet Belziæ
Æthera per medium
Illo triumphali die,
Qui TE regendæ Principem Provinciæ
Rite, Ducemque dedit,
O Lux Senatus Patrii
CETNERE! Quale tunc mihi ſpectaculum,
Quale futurus eras
Pulchræ theatrum Gloriæ!
Namquæ Potentum pompaTE Optimatium,
Quod Procerumque decus,
Ovante duxit agmine!
Quæ gratulantum promicabant vultibus,
Queis fremuere ſonis,
Non ficta mentis gaudia!
Tunc inſolenteis in triumphos concitæ
Subſiluiſſe ferunt
Muros, domoſque Belziæ:

Nu-

Nutante celsas tunc Tibi fastigio
Aëra per Liquidum
Plausisse turreis arcium.
Hoc nempe vultu, Maximos qui Principes,
Qui deceatque Deos,
Fulsisse tunc TE viderant.
O invidenda Belziæ felicitas!
Cur mihi participem
Fuisse non licitum est tui!
Compenset olim pulchra Cracovecia
Ni mea damna mihi,
Occumbo desideriis.

ANIMI POENITENTIS
Intimus erga DEUM offensum sensus.
e Polonico Domini Rudnicii S. I.

REX Magne Regum, terribilis DEUS,
Quo lacrymarum flumine diffluam,
Quod TE licessivi nefandis
Tot scelerum furiosus ausis!

TE! Te, Creator! Te, Pater optime!
Hoc vile massæ degeneris lutum
TE, sprevit amens, o trementum
REX superum! DEUS o Deorum!

Ah! qui paventem iam perimit metus!
Defixa terræ lumina roscidus
Inundat imber! mutus udis
Prona pudor tegit ora palmis!

Hæc

Hæc Te videntem jam miseratio
Tangit scelesti, credo. Sed altius
Heu! corde vulnus fodit ultor
Hac rabidus bonitate mœror.

O! si perenni flumine defluat
Utrumque lumen! Sæcula, sæcula
Plorando ducam, quod supremum
Pro vacua male sanus umbra,

Pro fraude falsa, pro nihilo Deum,
Ah! mente captus, pro nihilo Deum,
Deum tremendum, Conditorem,
Propudium capitale, sprevi!

Abjecte pulvis! cerne, quid ausus es!
Ah! perduellis, flagitium, nefas,
Coeli, solique Conditorem
Ille tuus violavit ausus!

Nam sancta Magni si violes DEI
Mandata demens, jam violes DEUM
Te Summa Majestas rebelles
Læsa reos numerabit inter.

Dehisce tellus! me stygium chaos,
Me sæva ditis nox premat! ignibus
Exurar æternis! et omni
Supplicio Rhadamanthus istum

Vel fabuloso sæviat in reum;
Heu! non piabit flagitium! nocens
Manebo semper, ni nocenti
Ipse, DEUS bone parcis ultro!

O

O æviternis ut mihi ſæculis,
Ut æviternæ ſupplicio necis,
Magis pavenda es noxa foedae,
Noxa malæ ſcelerata mentis!

Non inferorum te cruciatibus,
Non mille ſolvam ſuppliciis ſtygis,
NATUS Paternam ni cruore
Ipſe DEUS mihi flectat iram!

AD ALAUDAM.

O Siren tepidi dulcior ætheris,
Cantrix fertilium nuntia meſſium,
Agrinectar, alauda,
Veris filia florei!

Nequicquam tenero pectore rumperis,
Æſtivum gracilis flectere Delium,
Ne ſudos violento
Curru præcipitet dies.

Æſtas vix placido lumine riſerit,
Mundo rurſus hyems flebilis ingruet,
Et rurſus diuturno
Triſtem ſervitio premet.

Sub coelo nihil eſt juge. Bonis mala,
Et lætis ſubeunt triſtia; ſed tamen
Arcte læta voluptas,
Luctus latius imperat.

IN

IN CHRISTUM SERVATOREM
Cruci affixum.

Ploremus, an Libyſſa nos parens lea,
An tigris Hyrcana edidit?
Ploremus en, ut pronus e crucis trabe,
Plagis cruentus, lividus,
Suapte noſtrum dum luit pœna ſcelus,
DEUS! DEUS necem oppetit!
Heu! illud oris lumen, illa mitia,
Blanda illa frontis ſidera,
Vivam et genarum purpuram, et vultus iubar,
Nox luctuoſa obnubilat!
Favis Hymetti lingua quæ manaverât,
Perempta ſelle obmutuit!
Solis coruſci auro coronandum caput
Sentes cruentant impii!
Ferro terebrantur manus! ferro pedes!
Cor dulce ferro ſcinditur!
Ploremus, aut nos lacrymarum flumina,
Aut fulmina truces obruant.

Quum VENCESLAUS REVUSCIUS PALAT. CRACOV. COPIARUM DUX, *graviter ægrotaret.*

Qua te, DIVA SALUS, prece,
Qua flecti refugam præcipis hoſtia,
Ut Magno redeas DUCI?
Per, ſiqua eſt Pietas, incolumem bonis
Pat-

Patrem reddito Liberis!
Patrem Sarmatico redde ſenatui,
Patronumque clientibus!
Ut ſe terrificis noſtra periculis
Vitæ tempora digerunt!
Nos diris perimit ſæva rigoribus
Hiberni rabies jovis.
Urit peſtiferis Sirius ignibus
Æſtivos rapidus dies.
Quod ſi Ver placidis riſit Eteſiis,
Autumnusve Favoniis,
Permiſcet putridos Auſter anhelitus,
Febres et maciem trahens.
Felix, luctifici qui memor exili,
Mentem ſuſtulit altius:
Æternamque animo iam ſubiit domum,
Terreni laris immemor.
Illum ſumma dies ſi rapuit ſolo,
Cœli Civibus addidit.

AD JOSEPHUM ALEXANDRUM PRINCIPEM JABLONOVIUM, PALAT. NOVOGROD. *Abſentiæ excuſatio.*

Inclyte DUX, cui perpetuæ ſunt carmina curæ,
Vatesque fabri carminum;
Quo Tua Deiphilum bonitas dignatur amore,
Jam fama late diſtulit.
Il-

Ille tamen deſiderio tabeſcit inani
Tuis fruendi obtutibus.
Namque animi veges, ac promptus, ſed corporis æger,
Pigraque febre lanquidus,
Heu! fruſtra Lachovecias aſpirat ad Arces,
Alasque poſcit Pegaſum!
Eſt tamen, unde ſuo ſolatia certa dolori
Muſis amicus hauriat.
Omnia nempe ſacri gerimus cœleſtia Vates,
Terrena ſi abſit portio.
Et noſtra ingenii monimenta æterna perennant,
Nec damna leti ſentiunt.
Ipſa adeo Heroum noſtro ſibi munere Virtus
Æternitatem vindicat.
Nam neque; ſi Pario centum Tibi marmore ſurgant,
Aut ære ſigna Cyprio,
Quæ Tibi ſervatus Civis, quæ Patria victis
Tropæa ponat hoſtibus;
Mille Semiramiis nec ſi Te turribus urbeis
Auctore tollant verticem;
TE memori æternum commendent clarius ævo,
Quam ſacra Vatum Carmina.
Ante Phrygem Æneam, Phrygiique incendia belli,
Vixere fortes & pii;
Sed quia, Mæoniis qui ferret in æthera pennis,
Phœbeus ales defuit,
Letheo æternum immemores periere profundo,
Auxiſſe digni ſidera,
Queis Tua jam dudum multo molimine Virtus
TE Magne PRINCEPS, intulit.
At-

Atque Tuis late resonat jam laudibus æther,
Quacunque currum Sol agit.
Gallus, Iber, Italus Germanus, Belga Britannus,
TE Literarum Vindicem,
Musarumque decus, quo nullum Sarmatis ora
Hucusque majus protulit,
Uno omnes animo certatim, uno ore fatentur,
Gentique Polonæ invident.
Quas Tu inter laudes si nec mea carmina temnes,
Solem imitari deliges,
Qui vastoque mari gaudet sua lumina pingi,
Guttaque roris parvula.



FRANCISCI M. LESNIEVII
LYRICORUM LIBER III.

STANISLAO AUGUSTO POLONIARUM REGI:

Quum illi de Imperio auspicatissime inito publica in Scholis Collegii Cremenecensis S. I. institueretur gratulatio.

Redux Poloni Gloria Nominis,
AUGUSTE sceptro Maxime, Maxime
AUGUSTE Virtutisque palmâ,
Regifici meritoque sceptri,

Quas celsiori despicis indole,
Assurge terris altius, invias
Nubesque supra, grandinesque,
Pegaseo rapiende curru.

Illic corusco Gloriæ in essedo
Pulchre reclinem suspicientium
TE Regna terrarum profundo
Excipient venerata cultu.

At TU sereno splendidus æthere
Miscebis altis TE superum choris,
Et Nomen ac Vultum precatis
Adiicies nonus ignis astris.

Fal-

Fallor? ſtupenteis an ſubit inſolens
Jam pompa cœlos? deſpice, deſpice
AUGUSTE, decreſcunt ut imis
Culminibus nemora, atque turreis.

Vides, ut alta conſpicuæ nive
Stravere prono ſe Tibi vertice
Beſſique rupeis, Carpatique,
TEque ſuum coluere REGEM?

Videre currus et vaga patriis
Fluenta ripis, ac terïo Tyras,
Ter Vandalus, Bugusque, linquis,
Ter liquidis ſonuere palmis.

Excepit omnis non ſoliti ſonos
Late triumphi Mundus, et omnibus
Pontique, terrarumque Regnis,
Ingeminat ter, ïo triumphe!

Sed quæ recluſo protulit obvia
Se Pompa coelo? ſidereæ TIBI,
AUGUSTE, Divorum phalanges
A ſupera glomerantur Aula.

TE vincta circum Palladiæ caput
Sertis olivæ candida Vindicem
Pax oſculo dignata dulci,
TEque Salus, et amica paſſis.

Geſtivit ulnis prendere Fauſtitas,
Cornuque ſelix Copia divite, et
Viſura rurſum derelictas
Cana Fides, Pietaſque terras.

TE

TE foederatis quæ dubium regunt
Septena Mundum Numina legibus,
In Imperi partem vocatum
Quisque ſuis coluere donis.

TE Luna, TE Sol, TE Venus, et ſacro
Perfudit almus lumine Jupiter:
Facundia os armavit Hermes,
Fulmineo latus enſe Mavors.

At torvus aſpri nube ſupercili
Saturnus, æqua fronte ſerenior,
Barbamque tangens falce, jurat,
Aurea TE fore ſæcla REGE.

Applauſit Æther cunctus, et ignium
Quidquid minorum ſiderea eſt domo,
Feſtaque certatim chorea
Ter liquidos obiere coelos.

Ter et propinquo ſideribus jugo
Plauſere Muſæ, terque ſibi Aureum
Fuiſſe Sæclum gratulatæ,
TE Clariis cecinere plectris.

Quo vaſta cantu Lechia dum ſonat,
Ahena monteis per Cremenecios
Ter centies reſpondit Echo,
Fulmineas imitata nubeis.

IN

IN SAECULI IMPIETATEM.

Ehen! probrosi deterioribus
Truduntur anni! foedius in dies
Impune peccari videntem
Regna super pudet ire Solem!

Jam nulla sacris est reverentia,
Nec ulla Divis, dum sapientiæ
Consultus insanæ magister
Multus ubique Epicurus errat.

Aut nullus illi scilicet, aut iners,
Stellata Coeli Templa colit Deus:
Sanctasque Virtutes eodem
Quo scelerum videtore monstra.

Hinc omne labis principium carent,
Honore Virtus, crimina Vindice:
Hinc Coelites æque, nigrumque
Impietas Acheronta ridet.

Vesane risus! non lacrymabilem
Cautus futuri prospicis exitum,
Parcendo dum fessus protervos
Omnipotens premet Ultor ausus?

Non sic, refractum rupit ubi aggerem,
Dudum et tumenteis horribili impete
Effudit iras, concitatum
Mersa super ruit arva flumen.

Frugumque acervos, et pecorum greges
Remugientum, cum miseris ferox
Raptat colonis, editaque,
Nil miserans, furit in ruina:

Nec, perduellem quum patiens diu
Obsedit urbem, sævior irruit,
Ferroque, victam, victor amens,
Et rapido populatur igni.

Ut lassus olim criminibus Deus,
Æternus Ultor sontibus irruet,
Et exacerbato furori
Ausa dabunt scelerata pœnas.

Diu Noaeas ludibriis minas
Excepit audax noxa gigantium,
Siccamque derisit carinam,
Heu! subito peritura ponto!

Diu et Gomorrhes, ac Sodomae scelus,
Risit minaci murmur ab æthere:
At jam perenneis triste fumant
Reliquiæ Omnipotentis Iræ.

IN OBITUM DELPHINI.

DELPHINE ! Magnæ maxima Galliæ
Spes nuper et lux, et modo maximus,
DELPHINE, luctus ! TE dolendo
Ante diem occubuiſſe leto !

O dira ſævis auſibus Atropos !
O luctuoſæ ſcena tragœdiae,
Quam nuper actu læta primo,
Tam nimium lacrymanda ſummo !

Heu ! Sidus illud BORBONIÆ Domus,
Amorque, et Ævi Delicium ſui,
Ille hoſtium terror tuorum o
Gallia, Religioque Vera,

Ut ſpes ſuorum, votaque publica,
Ut apparantis præmia Gloriæ,
Convertit in planctus, acerbo
Præproperus cecidiſſe fato ?

Sed quo querelas, quo gemitus, Dolor ?
Num tanta Virtus flebilis occidit,
Invecta Divorum ſuperbo
Arcibus Æthereis triumpho ?

Quos ſola vulgo ſuſtulit altius
Fortuna Reges, flebiliter cadunt :
Nam turpe depreſſos retrudit
In miſerum Libitina vulgus.

Sub-

Sublimis alto ſed meriti gradu
E plebe quisquis celſior eminet,
Quantumque fortuna, potentis
Tantum animi gravitate Rex eſt :

Illum penates linquere Regios,
Sceptrumque, poſtquam ſumma jubet dies ;
Beatus emutat caducum
Imperio meliore Regnum.

Tanti potitum Te ſolio Imperi,
Dilecte Divis Maxime LODOIX,
Ut Aſtra mirantur novumque
Cælituum ſonat Aula Regem !

Eia o Beatis addite Regibus
Æterne Princeps, ne Patrii graves
Regni tumultus, ne furentis
Auſa Stygis cohibere differ !

AD JOSEPH. ZALUSCIUM EPISCOP. KIOVIEN. *In rerum humanarum vices.*

SIquid humanis foret æviternum
Uſpiam rebus, neque cuncta raptu
Temporum præceps ageret perennem
Caſus in orbem ;

 Ju-

Jure, quæ Regnis, Populisque diræ
Ingruunt clades, gemeres ZALVSCI:
Jure Fortunæ vetus exprobrares
Crimen iniquæ.

Sed ſuis ſurgunt, reciduntque, fatis
Cuncta ſub coelo. Vicibus perennat
Mundus, alterno redimitque priſcam
Funere vitam.

Dum fugant ſe ſe, redeuntque, Menſes,
Qualis Euboeas rapit error undas,
Obvium quidvis furor irruentis
Proterit Ævi.

Mox redux idem novat, inſolenti
Erutum ſolers reparare ludo, et
Rurſus in priſcas properus ruinas
Vertere Mundum.

Adde, quod præceps aliunde Fatum
Urgeant Regum Populique noxæ.
Regna, quæ gaudet ſtabilire Virtus,
Crimina vertunt.

Sic Amorrhææ Babylonis Arces,
Sic Hyantheæ periere Thebæ:
Sic malus Trojam, Priamique Regnum,
Vertit adulter.

Principum jugis Populique Virtus
Omnibus fingit ſua fata Regnis:
Sicubi mores cecidere, cladem
Regna tulere.

Pau-

Pauca Fortunæ Deus inſolenti
In Bonos Cives voluit licere:
Improbos magnis celer at ruinis
Obruit Ultor.

DUM POTENTISSIMUS POLONIARUM REX STANISLAUS AUGUSTUS

novum Equitum DIVI STANISLAI E. M. Ordinem inſtitueret, ut novo hoc præmio generoſos animos ad amorem Virtutis, rerumque toga et ſago præclare gerendarum ſtudium, excitaret.

NUMINIS Æterni ſoboles dea, Glorioſa VIRTUS,
Quam quidquid Aſtris imperat minorum
Coelituum, læto Matrem colit et ſalutat ore,
Debetque totam cui beatitatem:
Quæ mortale genus terræ eripis, aſſeriſque coelo,
Divina Rectrix et Magiſtra vitæ:
Seu rutilo Æthereos veheris ſuper eſſedo Triones,
Seu læta Terras circuis iacenteis;

Huc

Huc volucres currus, huc aurea candidos jugales,
Ad nota Magni flecte Regna Lechi.
Te Patriae Pater AUGUSTUS, Jubar et Propago Regum,
Mirisque poſcit, grandibusque votis.
Ille Tibi donis Civilia mancipare corda,
Magniſque tendit præmiis honorum.
Jamque Tui ſtudio flagrat Toga purpurata Patrum,
Sagique robur Militaris Ordo,
Et grave conſilio Senium, voces et manu Juventus,
Et quidquid usquam Civium Bonorum eſt.
Macte animi REGUM Norma & Decus, obſecundat ultro,
Tuisque gaudet flexa DIVA votis.
Perque Urbeis Lechiæ curru aurea lora dat ſecundo,
Viſitque Divum Templa, viſit Arces,
Et Sacræ Themidis Subſellia, Curiamque Patrum,
Ærisque et auri ſpectat officinas,
Armorum et fabricas, Cyclopia Regna, pulverisquæ,
Et fulminantum, clauſtra machinarum.
Mirus ubique novis rebus nitor, atque mirus ordo,
Et Spes novarum fida copiarum.
Prima tamen vitæ ſpectat bona, Civiumque mores,
Intaminati Sanctitas Honeſti.
Illac procul dirum ſcelus exigit, imminentiumque

In

In damna Regni peſtium catervas.
Non mala Conciliis Diſcordia, non Abuſus exlex,
Non inſolenteis obſtrepunt Tumultus.
AUREA LIBERTAS priſcum ſibi vindicat decorem,
Nefasque ſanctis legibus coërcet.
Expavit fugitiva Licentia multiplex Tribunal,
Cæcæque Fraudes, Visque aperta, et Auſus.
Eſt merito pretium, ſunt præmia, ſunt opes, egentem
Auro paratæ ſublevare turbam.
Lucinamque inopi partus dare non piget parenti,
In REGE Patrem queis videt futurum.
Macte iterum REX Magne animi! Tua geſta perque terras,
Canit ſupremos Fama perque coelos.
Unde Jagellonio de Sanguine Coelites creati.
Tam Glorioſo TE Nepote plaudunt:
Unde alii, Lechicæ ſtirpis decus et corona, DIVI,
Magnusque primum Pontifex Vaveli,
Terrarum Imperio quondam ut ſatur, et ſatur, Triumphis,
In Aſtra ſerus commigres, precantur.

Quum

Quum e Podhorecensi
REVUSCII PALATINI et DUCIS
arce discederet.

Tandem migrandum est, o Podhorecia!
O delicati ruris amoenitas!
O grata Phoebo grata Musis,
O charitum speciosa Tempe!

O lucidarum dulcia Najadum
Fluenta sacri conscia nectaris!
O blanda puri Regna coeli!
Palladis o residentis Arces!

Valete! sero cognita, at heu cito
Perdenda tristi Deiphilo bona,
Valete! præceps urget hora,
Nec reditum fugitiva spondet.

Ut obsoleti fabula Tantali
Quotidiana fraude renascitur!
Ut affluunt, prendique poscunt
Deliciæ, fugiuntque prensæ!

Vasto incitati flumine temporis
Abrepta noctes volvitur et dies
Undantis in morem procellæ
Vita levi fugitura lapsu,

Ripasque præter non revocabili
Errore sensim fertur: at obviæ
Arcesque, turritæque retro
Cum Populis rapiuntur Urbeis!

Cum

Nec finis usquam, nec mora perpetes
Prætervolantis reprimit impetus,
Æternitatis dum profundum
In pelagus revoluta sistat.

JOSEPHO ALEXANDRO JABLONOVIO, ET VICTORIÆ CORIBUTIÆ VORONIECIÆ, SPONSIS PRINCIPIBUS, EPITHALAMION.

PRINCEPS PRUSSIADES dum VORONIECIAM,
De CORIBUTIO Sanquine PRINCIPEM
Fortunato Hymenæo
Sponsam duceret inclytam;

Phœbus Mænaliis Arcadiæ jugis,
In Magno medius Concilio Deum,
Hæc oracula dextro
Augur numine prodidit.

„ Quas æterna sacro fœdere nuptias
„ Fatorum series jungere sanciit,
„ Illis fixus ab ævo
„ Tandem lætus adest dies.

„ Duc *) ARGISTE, bonis duc avibus domum,
„ Donat pulchra Venus quam Tibi Conjugem,
„ In-

*) *Nomen Principis inter Arcades.*

„ Ingens promeritorum,
„ Virtutisque decus Tuæ.

„ In ſpes Illa Tibi tradita maximas
„ Solvet noſtra ſacris omina partubus,
„ Pulchra Teque beatum
„ Reddet progenie patrem.

„ O qui (vaticinor) ſudor adeſt Getis!
„ Qui barris et equis! ut JABLONOVIOS,
„ Veſtro Sanguine cretos,
„ Jam Thrax et Rhodope tremit!

„ Quanti in Sarmaticis agminibus Duces
„ Iſtrum Biſtonio ſanguine diluunt,
„ Lechaeoque Nepotes
„ Marti reſtituunt AVUM!

„ Iidem Conſilio, Pacis et Arcibus,
„ Et rara omnigenæ laude ſcientiæ,
„ Doctæ cura Minervæ,
„ Ut Magnum referunt PATREM!

„ Illis jam Tyriæ munera purpuræ,
„ Jam Phryxea celer vellera dividit,
„ Lechæique Senatus
„ Primos pulcher Honos locat.

„ Eia o Caſtalides! nectite plurimam
„ Parnaſſô celeres Vos quoque lauream!
„ Doctæ præmia fronti.
„ Sertum nectite multiplex!

„ An

„ Auditis, ſubitus queis Helicon ſonat,
„ Parnaſſuſque novis Cirrhaque Vatibus,
„ Qui tam grande Paternis
„ Adiecere decus libris?

„ Certas poſt hyemes ut Tyberis Pater,
„ Ut doctos tacito Sequana flumine,
„ Curſum oblitus uterque,
„ Emirabitur hoſpites!

„ Quæ conſanguinei lumina Nominis,
„ Quod læti aſpicient BORBONIDÆ jubar!
„ Quod certamen amorum
„ Edet Regia Verſalis!

AD BENEDICTUM CRESSIUM
TIPHYS POLITICUS.

Theſſalam cœlo, ſine, tollat Argon,
Tollat heroes vetus Argonautas,
Et ſuum Tiphyn, celebrata priſcis
Fabula Graiis.

Tu tuus, CRESSI, Tibi Tiphys eſto,
Seu Tuam lenis feret aura navem,
Seu procelloſis quatient ſonori
Fluctibus Euri.

Devio ſiqua rapieris æſtu,
Quum decet rectos tenuiſſe curſus;
Strenuus contra renuente vinci
Nitere clavo.

Nec

Nec tamen ſævis temere periclis
Inferes bellum, neque Tu Charybdin,
Dum vehi præter licet, aut Maleæ
Saxa laceſſes.

Otium bello Sapiens præoptat:
Urget invitum furioſus hoſtem.
Qua nefas cautum, jubet eſſe fortem
Strenua Virtus.

At nec inſontis facies profundi
Demat attentam Tibi blanda curam.
Diluit præceps Palinurus hauſto
Somnia ponto.

Tu per undantis leve tergus alti
Arduam ſerva vigil uſque puppem,
Fortis adverſo dare, cautus Auſtro
Vela ſecundo.

Tutus errorum maris atque venti
Sis licet, ne Tu vacuam periclo
Alliges proram, niſi cautus horres
Littus iniquum.

Fraudis expertem ſimulare portum
Novit Euboeus tacitis Caphareus
Fluctibus, lymphas ſuper hoſpitali
Perfidus igni.

AD

AD NOBILEM JUVENTUTEM:

Ne iniquum Paridis iudicium imitetur.

Cur nihil pudet vetus
Novare mendum Te, levis Juventa?
Falſa cur iuvat bona
Prenſare, veris noxie relictis?
Cur honeſta turpibus,
Pigetque laudes ante ferre probris?
Troïus monet Paris,
Suäque clarus, Patriæque ſtrage,
Quam gravi periculo
Seu docta Pallas, ſeu ſuperba Regnis
Spernitur Soror Jovis,
Præ fraudulentæ riſibus Diones.
Cur tamen ſacræ Tibi
Temnuntur Arteis, nec decus politi
Æſtimatur ingeni,
Præſtatque myrtus laureis Minervæ,
Eviique pampinus?
Laborioſi cur Parens Gradivi,
Cur honoribus Soror
Bellona, priſco doſtituta cultu,
Militaribus caret?
Cur Sol Equeſtri Gente procreatos
Sub conopeo videt
Sævam paternis exprobrare Caſtris
Cultuum ferociam?
Sperare quid non Patriæ licebit
His beatæ Civibus!
Ut hæc ſuamque, publicamque, quondam
Rem

Rem geret Scientia!
Ut hæc Virorum Fortitudo belli
Suſtinebit impetum!
Probroſa Pubes! quas Tuæ ruinas,
Quæ movere funera!
Heu! immerenti Patriæ laboras,
Quæ ſibi quotidie
Tot pergit in Te parturire tædas!

In Dedicationem Templi Podhoretenſis, á REVUSCIO PALAT. CRACOV. Exercituum Regni DUCE, magnifica pietate conditi.

Nam quæ patenti fulſit ab Æthere
Effuſa Divum pompa, volucribus
Invecta ſtellarum quadrigis
Cærulei per inane campi?

REGINA Mundi ſidereo comam
Coruſca ſerto, ſolis et auream
Amicta pallam, FILIUMque
Dulce premens decus inter ulnas,

Fulgentis inter millia Curiæ
Utrumque denſis Cælitibus latus
Stipata, terrarum jacenteis
Lapſa Polo ſubit Hoſpes oras!

At

At quæ beato ſuſcipiet lare
Terrena tantos porticus Hoſpites?
Quæ Templa Cœlis invidendam
Excipient venerata Pompam?

O ſacra Montis Lux Podhorecii,
Ædes, dicatis quam penetralibus,
Ariſque donavit, tholisque,
Priſca DUCIS Pietas REVUSCI,

Tu rite caſtis religionibus,
Inter ſtolati carmina Præſulis,
Luſtrata lymphisque, ignibusque,
Aſſyrii nebulisque fumi,

Dilecta Divis Hoſpitibus Domus,
Et inquilini conſcia Numinis,
Circum profanis ſacra terris,
Sideream adſimulabis Arcem!

Heic ſepta denſo Cœlituum choro
Mater Tonantis maxima perpetem
Sedemque figet, ſupplicisque
Excipiet pia vota turbæ!

Heic Magna Summi PROGENIES PATRIS
DEUSque HOMOque, et Lux hominum, et Salus,
Myſtæque munus, Victimæque,
Sacrificis iterabit Aris!

Non ulla Cœlo Victima carior,
Seu criminoſis ad veniam reis,

Seu

Seu ſacra lætæ vota ſolvant,
Subſidiis egeantve Genteis.

O! Sacro ſanctam quotquot Adoream
Iſtis tremendo rite litabitis
DEO Sacerdotes in Aris
Farre Sacro, latice et Lyæo,

Heic Conditori propitium DUCI,
Clarisque Numen flectite Poſteris:
Heic Patriæ, AUGUSTOque PATRI,
Suppetias ſuperum vocate.

AD HORINUM FLUVIUM.

Horine puro qui vitreus lacu
Late patentem ſurgis in inſulam,
Et Lachovecana ſuperbus
Regificum caput Arce tollis:

Sic multa fontem Najas amet tuum,
Sic et virenti nectat arundine,
Muſcoque contextum paluſtri,
Gramineum tibi Nympha ſertum.

Jube quieto ludere littore
Denſata lætis agmina piſcibus,
Jube canoris rauca cygnis
In numerum reſonare ſtagna.

At ipſe vaſtæ pronus ad inſulæ
Ripam ſonantis flumine gurgitis

Al-

Allapſus, undanti ſuſurro
Rite ſacros venerare vultus.

Viden'ſereno qui tua PRINCIPES,
Cognata Magnis Nomina REGIBUS,
Dignantur aſpectu fluenta,
Et nitido vada terſa vitro?

Hæc ora Tibris Lydius, hæc tibi
Et Galla toto Sequana flumine,
Et invidet Neptunus omni
Oceano, Eridanusque cœlo.

Phoebus deorum Sidereas domos,
At Regna terrarum, et populos, Bonus,
Quacunque proceſſit, ſereno
Conſpicuus beat ore PRINCEPS.

IN NATALEM REVUSCII DUCIS DIEM.

Quæ natalitio, Melpomene, die
Magno digna feres dona REVUSCIO,
Quo nec præſidium firmius eſt tuis
Rebus, nec decus amplius?

Non Graii tripodes, non pateræ tibi,
Non conflata focis ſigna Corinthiis
Sunt præſto, aut Parii munera marmoris,
Queis vitam dederit Scopas.

Quæ si vis tua sit, non animus tamen,
Non fortuna Viri Principis hæc velit
Non illum in statuis, sed memori juvat
Vatum carmine vivere.

Longum comminuit tempus edacibus
Vel rupes solidas, æraque dentibus.
At quam Pierides carmine vindicant,
Nunquam fama timet mori.

His ingens animus fortis Achillei,
His Anchisiadæ religio Ducis,
His Codri in Patriam & Curtia caritas,
Quam se se bene credidit!

His, o Deiphili dulce decus tui,
Quondam ut vindicibus Tu quoque Maxime
Immensa exsuperes sæcla REVUSCIDE,
Hic vatis labor est Tui.

CHODKIEVICIO INFANTI, EXPECTATISSIMO REVUSCII PALATINI AC DUCIS NEPOTI, GENETHLIACON.

Et nos fatidico numine Delius
Inspirat! meritis nobile frondibus
Vatis cingite limen,
Musæ! cingite tempora!

No-

Nostri pollicitam carminis omine
Jam lactat sobolem Nympha REVUSCIAS:
Jam promisse salutas
Patrem Nate, Nepos Avum!

O flos eximii primule Sanguinis,
Ævi delicium, Spes geminæ Domus,
Divûm nobile munus,
Cœli phosphore patrii,

Ut pulcer, radias! ut tibi vividis
Collucet geminum sidus ocellulis!
Manant mella labellis,
Et spirant Charites genis!

Vive, et soliciti spes Patris ac Avi
Grandævus supera: quod mihi Delphicus
Sic promisit Apollo
Fausti carminis aliti.

„ Magnorum hæc soboles Magna Parentium,
„ Quondam et laude Togæ nobilis, et Sagi,
„ Maternos, Patriosque,
„ Evincet meritis Avos.

„ Heu! quanta ille Dahis, quanta paventibus
„ Jam decreta movet funera Thessalis!
„ Ut pallent redivivo
„ CHODKIEVICIADA Getæ!

„ Idem pacificis nobilis Artibus,
„ Inter Patritiæ Numina Purpuræ,
„ Quam divina stupendi
„ Fert oracula consili!

Idem,„

„ Idem grandiſoni nube ſupercili
„ Docto depoſita blandus in otio,
„ Quantus carmina Vates
„ Muſis aurea dividit!

„ Fortes atque boni fortibus et bonis
„ Nati proveniunt patribus: et bonum
„ Interdum ſuperavit
„ Tydides melior patrem.

CHRISTOPHORO SEMBECO PRINCIPI SIELUNENSI,

Dum ei ſacræ Infulæ deferrentur, 1767.

Vides, protervæ lege Licentiæ
Jus omne diro jam ſceleri datum,
SEMBECE, nec Vindex furentem
Arma capis domitura peſtem?

Prodi, o! neſandis auſibus obviam
Multo verendus Numine Pontifex:
Pedum ſit enſis, Mitra caſſis,
Imo Tibi ſit utrumque VIRTUS.

Quid uſque ſanctæ jura modeſtiæ
Obtendis? ut TE, ſuppetias diu
Precata nequicquam, obſtinatum
Religio Pietasque ploret?

Heu

Heu Caſta Magni Religio DEI!
Heu priſca Virtus, heu Pietas Patrum,
Tu ſceptra concedes Avita,
Tu ſolium, ſceleri Nepotum!

Hoc non ferendum jam ferimus neſas!
Hoc, Glorioſis degeneres Avis,
Molimur amentes, Paternæ
Propudium capitale famæ!

Jam Templa contra, ſacrilego ſitu,
Contraque Veri Altaria Numinis,
Abominandas execrandi
Erigimus Belialis Aras!

Jam ſacroſanctis myſtica ritibus
DEI Tremendi Religio et Fides,
Proh ſæculum, inverſique mores!
Atque ſuperſtitio, perinde eſt.

Obſiſte tantis o validus probris,
Obſiſte monſtris, Inclyte Pontifex,
Periclitari publicamque
Ne latitans patiare cauſam.

Fatale noxis omnibus eſt Genus
SEMBECIDARUM Pontificum, neque
Sceleſta maius turbulenti
Monſtra Erebi timuere fulmen.

Fatale nomen CHRISTOPHOROS pavet
Jam dudum Avernus: TU modo ſtrenuus,
AVOSque PRIMATES ſecutus,
Perge Nepos iterare clades.

IN

IN SAECULI INERTIAM.

Quæ damna rerum longa trahit dies!
Ut gloriofis degeneravimus
Avis Nepotes! ut vetufti
Flagitio periere mores!

Non prifca virtus pectora martio
Succendit igni: non ftudium ferox
Adurget imbelles in arma,
Finitimis metuenda quondam.

Miffique noftris fub juga patribus,
Heu turpe! natis fegnibus imperant
Servire jam doctis, patique
Nominis opprobrium paterni!

Ignava turpi molliit otio,
Luxuque, dextras, ac animos, quies:
Bellata Centauros at inter,
Et Lapithas, fine fine fervent.

Quotidiano bella fuper mero,
Dum temperati finibus Evii
Exceffit, et jam temulenta
Sithonias ciet ira pugnas.

O! fit pudendæ finis inertiæ!
Sit mens ferendi fobria confili!
Quid enfe poffimus manuque,
In trepido probet hofte virtus.

AD

AD VIRGINEM DEI MATREM.

Mater Tonantis, quæ, triplicis potens
Regina Sceptri, fidereas domos,
Terrafque femotosque Manes,
Imperio regis una fummo.

Nefanda fi Te crimina Vindicem
Senfere femper, fi ftygio caput
Impune non unquam extulere
Monftra lacu, fcelerumque turmæ;

Armata certo quin Tua fulmine
In perduelles irrueret Manus,
Lateque difiectas fugaret
Tænarias erebi catervas:

Si cafta contrà Religio et Fides,
Si vera Virtus, fi Pietas, Tuo
Quotidianos egit ufque
Tuta patrocinio triumphos;

Nunc, o! potentis numine dexteræ,
Æterna Vindex, nunc ades, efferos
Fractura bellantis furores
Perfidiæ, et Phlegetontis arma!

Jam nil inaufum linquit atrocibus
Succincta turmis impietas, neque
Jam Templa, nec facras veretur
Numinis Omnipotentis Aras.

Quid

Quid impiorum dira Gigantium
Tranſiſſe dudum ſæcula fingimus?
Heu! nulla non ætas rebelleis
Cœlitibus generat Minantas!

Nec, ſi triſulco centimanus Gyges
Confixus olim fulmine concidit,
Flammaſve ſpirantem peruſtis
Enceladum premit Ætna ſaxis,

Jam nulla cœlo bella movet manus,
Sinitque Divûm tela quieſcere,
Tonantis ultrices et iras,
Noxa novis reprimenda telis.

AD JOSEPHUM ALEXANDRUM PRINCIPEM JABLONOVIUM PALAT. NOVOGROD.

Gloriam Pacis Artibus, et Sapientiæ ſtudiis comparatam, bellica præſtantiorem eſſe.

Martia partis feritate palmis
Jure pacatas Clariique lauros
Præferas PRINCEPS, oleasque doctæ
Dona Minervæ.

Bel-

Bellicos ſiquis ſapiens tumultus
Prætulit Paci, ſapiens ſereno
Prætulit cœlo geminata diris
Fulmina nimbis.

Prima naſcentis quod origo Mundi
Aureum terris agitavit ævum,
Neſcios diri Populos Gradivi
Pace beavit.

Pace ius et fas coluere Genteis:
Pace tranquillæ viguere Leges:
Pax Bonas Arteis, et Opes, et altas
Condidit Urbeis.

Pax in Aſcræos nemorum receſſus,
Inque Phocaeæ juga ſacra Cirrhæ,
Delium coelo comitesque duxit
Læta Sorores.

Ipſa, quæ celſo veniens Olympo
Leniit ſævos feritate mores,
Fertur in terris habitaſſe Virtus
Pacis amore.

TE tamen, PRINCEPS, JABLONOVIORUM
Sanquis Heroum, generoſa Magnæ
Indoles Mentis rapit ac Avitus
Ardor in arma.

Invides magnos Proavis, Avisque,
Biſtonum partos necibus triumphos,
Invides multo decus et redemptæ
Sanquine palmæ.

Hoc

Hoc ſat ad laudem. TIBI deſit hoſtis,
Non amor ferri metuendus hoſti
Siſte diverſam Tibi Tempus et Sors
Pandit arenam.

TE toga Magnum colet omnis Ætas;
Efferent Reges Populique Civem:
Purpuræ Lumen Trabeatus Ordo,
Patria Patrem.

Quale Tu vero decus Eruditi
Audies Ævi! Tibi Literatis
Artium turmis Stoacum Lyceo
Serviet omnis.

Te ſuum dulces ſuper aſtra toto.
Vindicem tollent Helicone Muſæ,
Et Tuo fulvas Tibi volvet auro
Caſtalis undas.

Pulchrior famæ, potiorque laudum,
Surgit heroo ſeges ulla campo?
Vive Majorum ſuperaſſe ſummos
Certus honores.

Magnus accinctis volitavit armis,
Major Auguſtus poſitis quievit,
Aureo dulces aluiſſe Muſas
Maximus Ævo.

AD

AD EUNDEM.

Feſtinati abitus excuſatio.

Sic TE, Maxime PRINCIPUM,
Servare incolumem Dia Salus amet,
Sic æterna perennibus
TE clarum celebret Gloria ſæculis,
Addictum ex animo TIBI
Ne Vatem e numero tolle clientium,
Neu culpæ tribuas citos
Indignans abitus. Dura Neceſſitas
Quid non cogit atrocibus
Impellens ſtimulis, nec patiens moræ!
Hæc Teucrum Salaminiis
Exegit Patriæ finibus exulem,
Patremque, et patrios lares,
Et Regni ſolium linquere compulit,
Hæc matris rapuit ſinu,
Ut fero obiiceret barbara Dardano
Pelidem immeritum mori.
At quem præproperam propulit in fugam
Nuper Deiphilum ferox,
Non illi reditum ſuſtulit. Unico
Si nutu reducem velis,
Non longæ celerem diſtineant viæ,
Non ſegnes properum moræ,
Dum rurſus liceat PRINCIPE TE frui.

VIR-

VIRGINIS DIVINÆ MATRIS PURICHLITUDINEM ADMIRATUR.

Quæ Muſa culti pulchrior Eloquî
Tuis dicatum panget honoribus,
O VIRGO, carmen? quæ Venuſtas
Quique Lepos Tua pinget ora?

Miranda rerum TE ſtupet Artifex,
Et actuoſi jam minor ingeni
Natura ſe victam fatetur,
Auſa Tuam ſimulare formam.

Non blandienti pexa Favonio
Serena Tethys criſpat amœnius
Vitri fluentis vellus, alta
Lene ſalum feriente luna;

Quám fulva collo ludit eburneo,
Tuosque pulchre circum humeros vaga,
Permulcet auras, et decoris
Luxuriat coma criſpa cirris.

Si lucidorum vitrea fontium
Blandum quietis ſtat facies vadis,
Hoc dulce compoſto ſereni
Stare Tuo didicere vultu.

Si mille vivis picta coloribus
Renidet Iris, de ciliis ſuos
Tuis adumbrans finxit arcus,
Multa Tuam ſpeculata frontem.

Quo

Quo purus igni deflagrat Heſperus,
Et quo renaſcens Lucifer emicat,
Eſt flamula e binis ocellis
Innocuo Tibi rapta furto.

Florem pudicis virgineum genis
Roſæque fruſtra, liliaque invident,
Corallium, murexque, vano
Adſimulant Tua labra niſu.

Procera ſummis quæ Libani jugis
Se cedrus alto vertice ſuſtulit,
Et quæ Sioneis cupreſſus
Emicuit ſpecioſa ſylvis;

Cervicis ambæ dum ſpeciem Tuæ,
Celſumque colli marmor eburnei,
Referre gaudent, quam decoro
Deſpiciunt nemus omne faſtu!

Quid multa? tellus, æquora, ſidera,
Quidquid venuſtum, nobile, ſplendidum,
Quidquid ſuperbum, grande, jactant,
Eſſe Tuam profitentur umbram.

In

In diem,
DIVIS COELITIBUS POLONIÆ PATRONIS
ſacram, Hymni duo.

I.

Coeleſtis Aulæ Principes,
Quos vel profuſa Caritas
Vel ſanguinis cognatio,
Summi ad tribunal Numinis
Nobis Patronos reddidit,
Læto canamus pectore.
Illis coronam Gloriæ,
Regnumque ſupra ſidera,
Vitæ beatæ hæredibus
Coeli Imperator contulit:
Solvamus ultro debitos
Tantis honores Regibus.
Quæ Conditoris Optimi
Immenſa Liberalitas
Vaſto favorum flumine
In nos profundit munera,
Profundit his orantibus:
Dignas agamus gratias.
Nos triſtis indigentia
Bonorum adurget omnium,
Nos tot malorum millibus
Dextra, ſiniſtra, cingimur:
Potentum amicam Coelitum
Opem precemur ſupplices.

Rex

Rex Chriſte Regum Maxime,
Qui, quos coronas ſervulos,
Donas Patronos Gentibus,
Tibi, Patri, Paraclito,
Interminata perſonet
Coelo ſoloque gloria.

II.

DEI Parentis Unice,
Idemque Fili Virginis,
Corona Sanctorum omnium,
Te, Chriſte votis poſcimus.
Queis Advocatos Coelites
Tuæ ad tribunal curiæ
Tuis paraſti ſervulis,
Benignus audi ſupplices.
Sanguis Tuorum Martyrum,
Et Confitentum caritas,
Candorque purus Virginum,
Te flectat ad noſtras preces.
Depelle Regni finibus,
Peſtem, famem, diſcordias,
Belli furores, hæreſes,
Et cuncta monſtra criminum.
Nos Patri & almo Flamini,
Tibique, Chriſte, debitam,
Noſtris Patronis additi
Semper canemus gloriam.

MAG.

MAGNO DUCI REVUSCIO

e Moſcovia redeunti.

O! quem profuſis et Patriæ et Domus
Deſideratum non ſine lacrymis
Jam Civium turmæ obviorum
Inſolito reducem triumpho

Lætæ ſalutant, huc ades! et Tuæ
Arces reviſens jam Podhoreciæ,
Patrone jurato clienti
Deiphilo quoque dulce ſalve!

Salve o ſalutis Victima Publicæ,
Sive illa Codri, ſeu Tibi Reguli,
Sive exulantis Scipionis
Eſt memorem dare certa famam.

Dulce, et decorum eſt, pro Patria aut mori,
Aut immerentem ſortia perpeti.
Servaſſe Cives, ſumma, ſed non
Inferior, voluiſſe, laus eſt.

Everſa quamvis Pergama flebilem
Fatis ruinam debuerint, tamen
Sat Regis et Regni ſaluti,
Sat Patriæ dedit ultor Hector,

IN NATALEM ADAMI PRINCIPIS CZARTORISCII, *Generalis Terrarum Podoliæ Præſidis.*

Et Phoebo, et ſociis iuncta Sororibus,
Feſtum Melpomene diem
Dic vocis liquidæ, dic citharæ ſono,
Lydis dic age tibiis.
Quo non præſidium firmius eſt Tibi,
Quo non dulcius eſt decus,
CZARTORISCIADES, ſtirps JAGELONIA,
Natalem colit hunc diem.
Cernis, Patritiæ Gloria Purpuræ,
Cernis, Pegaſidum Jubar
CZARTORISCIADE, quam neque plauſibus,
Nec ſit lætitiis modus?
Certant tergeminis tollere honoribus,
Certant tollere laudibus,
TE Spem Sarmaticæ Pierides ſuam,
TE Docti Columen Chori.
Centum Cecropides ſerta Scientiæ,
Centum ſerta Academiæ,
Circum docta ſui tempora Vindicis
Certatim dare geſtiunt.
Quis jam vota ſatis, quis ſtudia explicet,
Queis famæ titulos Tuæ
Æternum memori carmine poſteris
Tendunt tradere ſæculis!
Immortale ſui quisquis avet decus

Late fundere nominis
Veræ laudis amans; non ſibi, ſed ſuæ
Natum ſe Patriæ putet.
Hanc omnis Veterum, Dorica, Romula,
Heroum tenuit manus:
Hanc tritam a Proavis atque Atavis tenent
CZARTORISCIADÆ viam.

Ad Fuſcum. Veræ liberalitatis laudatio.

Non, ſi ſubactæ duplicis Indiæ
Te ſpectet unum copia in aureos
Congeſta monteis, quos eous
Terminet, heſperiuſque pontus.

Tam glorioſæ Rex opulentiæ
Utriuſque Mundi finibus audias,
Quam ſi minores Fuſce, larga
Divitias moderere dextra.

Sparſo ſuorum commoda civium
Qui fovit auro, qui Patriæ decus
Bellique promovit, domique,
Atque bonas recreavit arteis:

Cui læta vitæ ſubſidium ſuæ
Inſons egentum turba clientium
Debere ſe gratam fatetur,
Atque inopum relevata virtus:

Cui eruditis culta ſcientiis
Laudes Juventus promeritas canit,
Hunc Fama pulchre ſumptuoſum
Perpetibus vehet alta pennis.

Quem tanta ſpectet gloria, Lechici
Jam, cedo, Cives dicite, et exteri.
Sed quid requiro? Palma ſpectat
Iſta JAGELLONIOS NEPOTES.

ADAMO PRINCIPI CZARTORISCIO, MAGNO PUBLICARUM REGNI SCHOLARUM, NEC NON TRIBUNALIS LITHUANI PRÆSIDI, PATRONO BONARUM ARTIUM, TERRORI SCELERUM.

Nam quis laborum ſtrenuus Hercules
Hac monſtra tollens noxia publico,
Hac in regendi mole Mundi
Sarmatico ſubiens Atlanti,

Miranda seris facta nepotibus
Novare pergit? magnaque maximis,
Heroa divinis adurget
Gesta celer superare gestis?

Quem Res futuri Publica sæculi,
Formare Civeis solicitum Bonos,
Jam nunc fatigat? Quis Polonæ
Dux præit agminibus Juventæ?

Quis bellicarum sedulus artium
Quondam tuendæ robora Patriæ
Armare jam nunc elaborat
Threïciæ metuenda lunæ?

Agnosce pulchras Magnæ Animæ notas,
Agnosce ADAMI munera Vindicis,
Lechæa Pubes! Vindicatæ
Serta comis properate Musæ!

Post prisca REGUM sceptra PIASTIDUM,
Heroës ex quo te JAGELONII,
Polone, sumpserunt regendum,
Gentis honos animusque crevit.

Abrupta faustæ sed series Domus
Longam labantis proruit Imperi
Felicitatem, ni ruinas
Hæc eadem Domus allevasset.

Qui Te gubernat nunc, Patriæ Stator,
Paterque quondam Maximus, optimus,
Audibit AUGUSTUS resumens
Sceptra Patrum rediviva Regum.

At

At inter alti lumina Sanquinis,
Pulcher Parentis, Patrui et æmulus,
ADAMUS effulgens, minores
Luna velut micat inter igneis.

Ad eundem

PRINCIPEM

Scholas Cremenecenses visitaturum A. C. M. DCC. LXX. V. Mense Maio.

Augusta REGUM Stirps JAGELONIDUM,
Tam gloriosis digne Atavis Nepos,
ADAME PRINCEPS, prima fessæ
Spes Patriæ, Columenque, SALVE!

Non digniorem læta VOLINIA,
Non dulciorem Civibus Hospitem,
Excepit unquam: non triumphos
Lætitiæ potioris egit.

Nam veris instar, vultus ubi Tuus
Affulsit, ultro pulchrior it dies,
Purique, ceu nimbis remotis,
Candidius nituere Soles.

Ut magna claris fulget honoribus
Ubique Virtus! ut meritos Viris,
Vel ante non visis, amores
Conciliat, speciosa cerni!

Non

Non omnis olim Græcia Castorem,
Non omnis acrem viderat Herculem:
Colebat omnis, thure et aris,
Et positis venerata templis.

Sic TE, o Polonæ Sidus adoreæ,
Non ante visum, jam Cremenecia
Amabat omnis, Vindicemque
Volinides coluere Musæ.

O! Vive Gentis delicium Tuæ!
Æterna nostri Gloria sæculi!
TE nostra, TE omnis posterorum
Usque memor celebrabit ætas.

De

De amore Patriæ. Fragmentum ex Polonico Myszeidos.

O sancta dulcem Caritas in Patriam,
Generosa soboles magnæ honestæquæ indolis,
Tu grata reddis et venena Colchica:
Tu probra demis servituti, vinculis:
Tu das decorem fœditati vulnerum:
Tu vera Magnæ Mentis es beatitas.
Patriam tueri ut liceat, ac defendere,
Dulce ac decorum est, quidlibet pati, mori.

IN MAGNI VENCESLAI REVUSCII, PALAT. CRACOV. EXERCITUUM DUCTORIS, MAGNOS MANES.

Heroa MAGNI gesta dum REVUSCII,
Justitiamque VIRI,
Animique celsitudinem,

Dum cæterarum mira dotum lumina,
Dum studium in PATRIAM,
Alto revolvo pectore:

Tam-

Tantam ſtupenti totque rerum gloriam,
Tot merita, et decora,
Jucundus obrepit ſopor.

Heic vero quale ſe mihi ſpectaculum,
Quæ nova ſcena aperit!
Cæli pateſcunt atria!

Gentis Polonæ quidquid Heroum tenet
Cælituum Patriam,
In mentis exceſſu intuor!

Agnoſco priſcos: facta ſpirantem mihi
Hiſtoriæ in ſpeculo
Pingunt Virorum imaginem.

At TE REVUSCI vultus hic quoque indicat,
O decus! o mea lux!
TE cerno Patronum Cliens!

Salvete Cives, jam beati Cælites,
Sarmatiæ Indigetes!
Tu vero primus omnium.

PATRONE ſalve Maxime, et Vatem bonus
Reſpice Dive Tuum!
Auſculto, ſiquid præcipis.

Excepit iſtas aure non ſurda preces
Melleus ille Animus,
Mihique blandus reddidit,

„ Hæc

„ Hæc, inquit, ame Civibus refer bonis.
„ Vultis, ament ſuperi
„ Gentemque, Remque Publicam?

„ O cara nobis Genſque, Reſque Publica,
„ Religione Tibi
„ Studia emeretor Cælitum.

„ Nil abnuente ſiditur recte DEO.
„ Annuat ille bonus,
„ Nil proſpere non ſiditur.

„ At iam catenas livor invidentium,
„ Servitiumque parat
„ Iniicere Vobis Liberis.

„ Armate ferro Gentis aureum *) decus!
„ Arma Viri! arma Viri,
„ Ferrumque fortes ſtringite!

„ Quæ jam paratis præliantum millia,
„ Accelerate citi!
„ Ni vita, ſit mors libera.

„ REGEM eligendi libere fallax honos,
„ Nomen inane rei,
„ Vos REGE quovis funerat.

„ Sævit ſuperba tum foris Vicinia,
„ Intus agunt furiæ
„ Deprælantum Civium.

„ Vah!

---

*) *Auream libertatem.*

„ Vah! devovendum mille vel diris decus!
„ Redde Polone Tuis
„ Hæreditatem Regibus.

Dicere parabat plura Divus Indiges:
Me ſopor interea
Heu! quam dolentem deſerit!



ELE-

E L E G I Æ.

FRANCISCI MICHAELIS LESNIEVII

ELEGIAE.

AD ARCADES.

Multa mihi Arcadios celebrat dum fama Sodales,
Eximiumque mea nomen in aure ſonat:
Dum divina Virûm mulcent mihi carmina pectus,
Carmina Phoebéa jure canenda lyra:
O! mea clamabam, ſiquis deus inſtruat alis
Brachia! ſi cœlo penniger ire queam!

Nn-

Nubibus immiſtus, nimbisque, atriſque procellis,
Cæruleiſque audax imbribus ire velim.
Nec prius arctois ceſſem diſcedere terris,
Quam videam terras Auſonis ora tuas.
Imo nec Auſonia libeat ceſſare reperta :
Arcadiam in media quæſierim Auſonia.
Nempe illuc Graiæ commigravere Camœnæ,
Doctaque conceſſit Græcia in Italiam.
Illuc, o illuc rapidis ſi deferar alis!
Si fruar adſpectu, colloquiisque Virûm!
Carmina ſi liceat Muſis et Apolline digna,
Si mihi cygnéos aure bibiſſe ſonos!
Si dignas Divûm laudes, Regumque, Ducumque,
Quorum deliciæ, quorum amor Arcadia eſt!
Hoc, hoc ſi liceat, tum me rear eſſe beatum!
Sidera ſublimi vertice tum feriam!
Talia dum ſtudio jactarem nuper inani,
Eſſe etenim id ſtudium rebar inane meum,
Ecce mihi & votis animi, & ſpe grandius omnè,
Attonito. defert ſors inopina bonum.
ARCADES, o benefactum hominum, quod gratus in ævum
Si celebrem, nunquam ſat celebrare queam,
ARCADES haud meritum ſummo dignantur honore,
Meque ſuo haud dubitant annumerare choro!
Fertur ab œnotriis dulcis mihi pagina terris,
Pagina non dubiis intus arata notis :
Arcadios inter quæ me jubet eſſe ſodales,
Deiphili et nomen donat habere mihi.
Obſtupui primo aſpectu : mox baſia mile, .
Atque iterum, ac iterum, baſia mille dedi.
Tum capiti imponens, hæc iam laurea, dixi,

Vin-

Vinciat et noſtras hoc diadema comas!
O donum ſuperum! o ſacrum, o venerabile donum!
Tu mihi quantus amor! tu mihi quantus honor!
Pro te ego non unquam ſummas perſolvere grates
Deſiſtam Magnis debitor Arcadibus.
Nec tamen, ut ſummas exſolvam, exſolvere dignas
Officiis unquam poſſe putabo meis.
Arcadii colleis (quid enim, niſi vota ſuperſunt)
Arcadiæ valleis, Arcadiumque nemus:
Arcadii fonteis dilectaque iugera Muſis,
Quidquid et Arcadiæ ſacrum ubicunque meæ eſt.
Dulce ubicunque mei modulantur carmen olores,
Quo celebrant Divos, quo celebrântque Duces:
Vos, inquam, Arcadiis loca conſecrata Poëtis,
In coelum Arcadios, carmine ferte Viros.
Ferte, inquam, pro Deiphilo, nam ferre poteſtis:
Arcades, haud dubito, vos docuere mei.
Condidiciſtis enim, veſtram dum mille per aurem
Carmina, dumque iterum carmina mille ſonant.
Ergo agite o colleis, valleiſque, nemusque beatum,
Sive ſonent Zephyri flamina, ſive Noti,
Arcadiam celebrate meam, lenique ſuſurro
Dicite, Deiphilus diligit Arcadiam.
Hoc ipſum o lauri, hoc o coniferæ cypariſſi,

Dum

Dum Zephyro strepitis, dicite, dumque Noto.
Hoc ipsum, o fonteis, dulci dum gramina rivo
Pascitis, æternis ingeminate sonis.
Præcipue tamen Arcadii dum Gloria Cætus
Pastorum Princeps *) inferet ipse pedem:
Dum dabit augustos vultus, atque illa videnda
Tempora, quæ circum laurea sylva viret:
Dum vos viset ovans, pulchro latus agmine cinctus,
Agmine, cui REGES iungere se decuit **)
Tum, tum certatim, cunctisque sonoribus una,
Et nemora, et colleis, et Zephyri, et latices,
Mille Viro laudes, gratesque, et mille salutes,
Dicite Deiphili nomine, quæso, sui.

DAV-

*) *Doctissimus Michael Joseph* MOREIUS, *inter Arcades* MYRHAEVS ROPHEATICUS, *Generalis Arcadiæ Custos.*

**) *STANISLAUS I. POLON. REX, LOTHARINGIÆ DUX, primus Polonæ Gentis inter Arcades.*

DAUNIUS

Summus Copiarum Cæsarearum Ductor, Torgaviensi pugna, A. C. 1760. pridie nonas Novembris, vulneratus.

Quinta est, quæ teritur bellis civilibus æstas:
Et ruit Europe viribus ipsa suis
Omnia Cæsorum jam candent ossibus arva:
Fluminaque infuso sanguine tota rubent.
Si qua tamen priscum mutarunt arva colorem,
Et si quæ faciem deposuistis aquæ;
Vos et aquæ, priscum mutastis et arva colorem,
Quas pubes potat Teutona, quæque colit.
Jam dudum Austriaci veneranda potentia Sceptri,
Romuleique decus defluat Imperii;
Utraque ni firmis propugnet DAUNIUS armis,
Firmaque consilio DAUNIUS arma regat.
Hinc, AUGUSTA suum, miroque AUGUSTUS amore,
Hinc miro IMPERIUM deperit omne Ducem.
Vidimus hoc dudum: tamen haud ita vidimus unquam,
Ultima quam liquido pugna videre dedit.
Saucius auditur pede DAUNIUS: ilicet omne
Luctibus et gemitu personat IMPERIUM.
Parce tamen, quamvis merito, Germania luctu:
Suprema hoc DAUNI gloria vulnus erit.
Ille hostem pugnaque data, pugnaque negata,
Jam ferro infregit, jam sapiente mora.

 Im-

Imperii hinc gladius, ſcutumque, eſt factus, et unus
Marcelli ac Fabii junxit utrumque decus.
Nec ſatis id laudis. Romanos, DAUNIUS inquit,
Certabamus adhuc æquiparare Duces:
Virtuti favit fortuna: æquavimus unus,
Hoſtis id agnoſcit, livor et ipſe, duos.
Eia age! Graiorum virtus et gloria reſtat.
Hanc etiam æquemus, quin ſuperemus, ait.
Dixit, et ardenti ſe pectore jecit in hoſtem,
Inclyta mille petens vulnera, mille neces.
Mille unum petiere enſes, petiere pilæque:
Sed timuere enſes, et timuere pilæ.
Quin adeo qui enſes ictum tetigere, pilæque,
Lædere magnanimum non potuere Ducem.
Quæ tamen una pedem tetigit pila plumbea, læſit.
Cur ita? Pelidem noſcite Teutonicum.
Imo tuum Graio Germania præfer Achillem.
Mars iſti, illi adigit tela nefanda Venus.

PO-

POLONIA CIVIBUS SUIS,

Extraordinaria comitia edicto Regio Varſaviæ 1761. a. d. V. calend. Maias celebraturis, Salutem, pacem, concordiam.

Me miſeram! extremis vicina POLONIA fatis
Heu! quam præcipiti ſto ruitura loco!
Milite ſtant nudatæ acies, ac mœnibus Urbes,
Et vel iners aditum, qua velit, hoſtis habet.
Nec ſatis, arma foris non eſſe: offenſio cives
Diſcidit, eſt nullum conſiliumque domi.
Irrita ſunt ſemper, quotquot ſunt lege coacta
Concilia, et legem dedidicere ſuam.
Dirus et argentum mihi ſuſtulit hoſtis, et aurum,
Mutavitque meas ære doloſus opes.
Quæcumque ingruerit, fuerit ſuprema procella:
Præſidii ſupereſt nil mihi, nilque Spei.
Hoc Patriæ Pater Alme vides AUGUSTE, gemiſque,
Pæneque fles lacrymis noſtra pericla tuis.
Conciliumque vocas, Civeſque hortaris, & oras,
Conveniant animis, conveniantque loco.
O! mora fatorum qui ſolus es una meorum,
REX AUGUSTE, Pater, Gloria, Vita, Salus!
Quam Tua tam tenero Reſp. reddet amori,
Quam reddet meritis obſequioſa vicem!
Ite mei Cives, hoc Rege, hoc Patre beati:

Quamque mihi ille petit, ferte salutis opem;
Cogite concilium: sit mens voxque omnibus una.
Hoc poſcit Patriæ, poſcit amorque Patris,
Suppetias, age, fortunis communibus ite.
Theſauro Patriæ proſpicitote citi.
Hoc ubi feceritis, ſuccurreritiſque periclo,
In quod vobiſcum Patria veſtra ruo:
Tum Servatorem venerati ex ordine REGEM,
Sic illi verbis dicite, quæſo, meis:
Conſervata Tibi Reſp. mille ſalutes
Nuntiat, o Populi Vita, ſalusque, Tui:
Servatoſque ſibi theſauros approbat: at TE
Pluris theſauris omnibus ipſa facit.

AD

AD UDALRICUM PRINCIPEM RADIVILUM.

Quum is duas eximii artificii, maximæque utilitatis, machinas, alteram repurgandis ab ulva ſtagnis, et lacubus, alteram pangendis palis, iaciendisque contra exundationes molibus, architectatus fuiſſet. 1761.

Dum nova miranteis, RADIVILE, perambulat undas,
Ingenio nuper machina ſtructa Tuo:
Securoſque ſui cœnoſo in gurgite ſcirpos
Occupat, & totis impigra ſternit aquis;
Tam ſubito puras reddi ſibi Naiades undas
Stagna per, et liquidos obſtupuere lacus.
Parſque ait, Alciden veteres iterare labores,
Nam quæ alia in tantum vis minor iret opus?
Pars ipſo maius contendit id Hercule, quippe
Non vi, ſed mira rem videt arte geri.
Ecce autem herboſas quatit altera machina ripas:
Ingenio pariter machina ſtructa Tuo.
Illa reluctanteis ingentia robora, palos
Alte adigens, fluxas arte coërcet aquas.
Concuſſis tremuere vadis amneſque, lacuſque:
Naiades et regnis extimuere ſuis.

Dum

Dum trepidant, ſumma nitidum caput extulit unda
Cymothoë, et molem vidit utramque Tuam.
Vidit, et agnovit. RADIVILIA ſcilicet Arma,
Et Gentilitiæ rem docuere Notæ.
Miteſcit pavor, ardenteis inque omnis amores
Vertitur ingenii, DUX RADIVILE, Tui.
Namque ubi rem cunctis didicerunt Naiades undis,
Hos lætæ unanimi voce dedêre ſonos.
Nil opus eſt, PRINCEPS, vallo, nihil aggere; nutu,
Qua nos ſtare, aiunt, qua cupis ire, doce.
Quas ita ſervitio cœnoſæ abſolvis ab ulvæ,
Has ſervire Tibi ſponte, videbis aquas.

FAUS-

FAUSTINO GRODICIO VIRO DOCTISS.

Dum ei Auctor aliqua ſua carmina, ſparſim in lucem edita, dono mitteret.

Quum mea perque manus late, perque ora volaſſent
Carmina, gloriolæ velificata ſuæ
Se ſubito ad patrii retulerunt limina tecti,
Et cupide noſtros expetiere ſinus.
Heic ego „ nam quæ, inquam, vos cauſa redire coëgit?
Vos, queis tanta fuit pœna latere domi?
Illa autem mihi luctificis ſua fata querelis,
Et gemitu, miſeram flere, dolere, vicem.
„ Hem! Tua, dicebant, Tua vero? pignora Phoebi,
Quam ſumus indignis ludificata modis!
„ Quot probra, quod tumidæ tulimus faſtidia turbæ!
„ Lector, et auditor, quam ſapuere nimis?
„ Nulli non gravior fœda in ludibria rhonchus,
„ Nulli non naſus rhinocerotis erat!
Hæc ita iactabant querulis ſine fine ſuſurris,
Atque ita lamentis non modus ullus erat;
Ut luteus tenera mihi garrit hirundine nidus,
Quem gerit obliquo ſumma feneſtra ſinu:
Utque pavimento noctesque, dieſque, ſub imo
Cæca mihi glabro mure caverna pipit.
Aſt ego, quam meritas, inquam, mala pignora pœnas

Infrenisque animi, nequitiæque, datis!
Non monui toties? non usque ac usque rogavi?
Non inclamabam, tutius esse domi?
Non dixi toties, Quo vos? quo panditis alas?
Injecta memini non tenuisse manu?
Sed stetit indomitis tutumque relinquere nidum,
Auctorisque humilem deseruisse larem.
Jam vos vestra domi docuerunt, credo, latere
Damna, nec immodico laudis amore capi.
Atque equidem merito reduces excludere possim,
Persugium tantæ nec dare nequitiæ:
Sed miseror tamen, et veniam concedo: subite,
Quam male fugistis, scrinia nostra, domum.
Illa autem, vah nequitiem! mitte ista, reponunt.
Vin'tu nos iterum turpe latere? Vale.
Nam quo, inquam indignans, quo vos? in fibila rursus?
Imo, ajunt, laudis præmia certa manent.
„ Hac non visa tenus, visenda Podolia restat,
„ Quam culto, Superi! terra beata Viro!
„ Te jam, Te petimus, Rector Faustine. favebis.
„ Doctus es, et fausti nominis omen habes.
Dixerunt, et præpetibus sub nubila pennis
Cum plausu ex oculis se rapuere meis.

In

In diem Natalem

VENCESLAI HIERONIMI SIRACOVII, ARCHIEPISCOPI LEOPOLIENSIS.

Rursus, io! festam redeuntia sidera lucem,
Rursus adorandam restituêre diem.
Cujus enim augustum, PRÆSUL sanctissime, nomen,
Principis exorto lux Tibi prima dedit,
Illius ad cultum rursum litat omnibus Aris
Religio, Magnum devenerata Deum.
Interea primos dum VENCESLAUS honores
Cœlo immortalis, rite soloque capit;
TE quoque, Pontificum decus et jubar, omnibus Aris
Diva eadem, cunctis prosequiturque sacris.
Proque salute Tua, qua vita salusque Tuorum
Nititur, Æterno fert pia vota DEO.
Ite, ait illa, Polos densis perrumpite turmis;
Ite! piam Superis vim facitote Preces.
Efficite, in longos vivat vegetissimus annos,
Qui vita est populi, PASTOR, amorque sui,
Atque viden' totis densa ut suspiria castris,
Signa per, et turmas, sidera versus eunt?
Ipsa autem in medio primam tenet agmine frontem
Hortatrix, causæ fida patrona Tuæ.
Sique sibi æternos a terris NUMEN honores
Exigat; æternum Te velit esse, rogat.
Supplicis interea pia vota Exercitus omnis
Vir-

Virtutum, et caſtas excipit ore preces.
It ſonus, atque pio Cœlum tremit omne fragore,
Et vinci gaudens annuit ore DEUS.
Nec minus ardenteis votis dux altera turmas
Propitii explicuit NUMINIS ante thronum.
Perpete civilem ſtudio fovet illa ſalutem
Publica præque oculis commoda pacis habet.
Pro Te igitur, paciſque Stator, patriæque ſalutis,
Mille DEO defert munera, mille preces.
Ecce autem concuſſa novo tremuere tumultu
Templa DEI, atque novis intonuere ſonis.
Ducit laurigeras pulchris Academia turmas
Ordinibus: Juvenum flos ea caſtra facit.
Hi TE, Doctorum Jubar o præluſtre, clientes
Patronum poſtquam, quin cecinere Patrem;
Seque ſimul, lauroſque ſuas, pro Numinis Aris
Stravere, ac humiles procubuere ſolo.
Caſtaque placando certatim vota Tonanti
Concepere, animi pignora grata ſui,
Quo veges immenſos ſuperet Tibi vita per annos,
Coeleſteſque velis ſerus adire plagas.
Annuere his ſuperum REX viſus: at ecce repente
Rurſus ab immenſo Templa ſonore tremunt.
Innumerabilibus turba e mortalibus uno
Agmine coeleſtes conſtitit ante fores.
Omnis in hanc ſe conditio coniecit, et ætas:
Diſſona vox illis, conſona vota ſonant.
Hos lacrymis offuſa genas dux præit Egeſtas,
TEque ſuum pleno prædicat ore Patrem.
Excipiunt dulce agnomen turba omnis, et uno
Ore

Ore ſonant, mulier, virque, puerque, Patrem.
Utque in conſpectum Magni venere Tonantis,
Et proni in madidas procubuere genas;
Quas tum amor elicuit lacrymas! quæ pectore vota!
Quæque animi haud dubiis ſenſa legenda notis!
Per, ſiqua es coelo o Pietas! dixere gementeis,
Per te ipſam oramus, larga repende vicem!
Ecce, cui et vitam, miſeræ et ſolatia vitæ,
Ecce, cui has animas debet egena cohors!
Ecce (in TE verſo, PRÆSUL Sanctiſſime, nutu)
Ecce, aiunt, tenero noſter amore pater!
Præmia num differs Bonitas? O! Te ille viciſſim.
Magne DEUS, tenerum ſentiat eſſe patrem!
Sentiat, immenſumque annis veges exigat ævum,
Dum, facere in terris cui bene poſſit, erit!
Macte animi, quaſcunque licet, ſpes concipe PRÆSUL!
Tam pia, totque, nequit fallere vota DEUS.

AD

AD GALLIAM. M. DCC. LX. II.

Audimus, genimuſque tuas, o Gallia, clades:
 Heu! quibus, & quantis, Gallia feſſa malis!
Ferro, ignique furens, toto ruit orbe Britannus,
 Teque ſalo pergit perdere, teque ſolo.
Confractae oceanum claſſes tabuliſque, viriſque,
 Stravere, et Gallo ſanguine lympha rubet.
Cæſæ equitum campos turmæ, peditumque cohortes
 Stravere, et Gallo ſanguine terra rubet.
Queis tibi quondam Afer, queîs ſerviit Indus uterque,
 Regna Caledonium iam ſubiere jugum.
Pax tamen alta domi eſt, inquis. Miſerabile dictu!
 Flebilior ſtatus eſt, conditioque, domi!
Regni in viſceribus Janſenia ſævit Enyo:
 Civis et in Patriam ſævior hoſte furit.
In Patriam vero? Superi! ſacra illa Poteſtas
 Pontificum, et diæ Religionis honos,
Jam ſceleri tandem, jam vi ceſſere profanæ!
 Jura Sacerdotum iudice plebe ruunt!
Quin divina adeo Romanæ Oracula ſedis,
 Ridet uti ſtolidos impia turba logos.
Ergo peris miſerabiliter bona Gallia bello;
 Sed miſerabilius Gallia pace peris!

PEPO

PEPO.

Prima cui Phariis quondam pars laudis in hortis,
 Imo deos inter laus cui prima fuit:
Niliacis ubi mèlopepo miſer exul ab oris
 Sum demum arctoas juſſus adire plagas:
Et tepidos Soles, et avaræ triſtia glebæ
 Ubera, perpetuis flere lubebat aquis.
Occideram luctu. duxit cutis aſpera rugas,
 In miſero venter ventre nec ullus erat.
Hæc mea dum ſpecies oculos advertit heriles,
 Solicitus damnis redditur ille meis.
Dumque animum ſolers curas partitur in omneis,
 Non mihi ſperatam ſic celeravit opem.
Nempe mihi vitreum ſuperinduit ille cucullum,
 Et ridens, monachum te faciemus, ait.
Heic ſtupor, heic riſus, me concuſſure: ſtupebam,
 Ridebamque, novi conditione ſtatus.
Et mihi, recte agitur, dixi moriturus in horas,
 Sanctior ut moriar ſcilicet, iſte cupit.
Ecce autem mea vitalis calor intima ſenſim
 Recreat, et fugiens vita, vigorque redit.
Jam mihi ſol placidus, jam gleba benignior: almum
 Ille ignem, hæc dulceis ſuppeditavit aquas.
Sic cito maturor, lapioque, ac munera cœli.
 Experior clauſis uberiora dari.

Hoc

Hoc agite o quotquot nostra hæc exempla videtis,
Discite, quæ sanctus lucra recessus habet.

CHOCOLATA.

Enthea Thymbraei poscebam oracula Phœbi,
Quo sacra Castalides pocula fonte bibant.
Ille preces vatis non aspernatus, honorem
Hunc sibi, sed frustra, vindicat Helias, ait.
Tu ne credideris. Totis has unica terris
Hesperidum felix insula fundit opes
Illa modo Americi dicta est de nomine Tiphys:
Sacra Chocolatæ potio nomen habet.
Hunc, age, tu laticem conquire: hunc impiger hauri,
Si cordi est Vatis gloria, et altus honos.
Namque hic divinos mortali in pectore sensus
Concitat, ingenium datque repente deûm.
Ac, ne quid dubites, testor iuratus Apollo
Perque deos omnes dicere, perque deas,
Hoc ubi Pegasides Nymphæ incaluere liquore,
Divino actutum carmine Cirrha sonat.
Non aliud superi, cœlestia numina, divi,
Non aliud nectar Jupiter ipse bibit.
Hæc immortales illos, hæc dona beatos,
Hæc hominum magnos efficiuntque deos.
Testor id expertus: namque hoc dum nectare privor,

Ru-

Rusticus, amisso numine, pastor eram.
Sique interdicat rursum hos mihi Jupiter haustus,
Rusticus, amisso numine, pastor ero.

IGNATIO SALAVÆ LEDOCHOVIO.

Adolescentulo Nobilissimo, Discipulo suo longe cariss. S. P. D.

Quam tristes agito sine TE noctesque, diesque,
Quot gemitus quævis excipit hora meos:
Dicere luctifico si rem TIBI carmine tentem,
O mea lux, animi deliciumque mei;
Non valeam, licet ipsa adsit mihi Musa Maronis:
Nec, si elegos Naso commodet ipse suos.
Quocunque hunc animum, quocunque hæc lumina verto,
Dulcem Ignatiolum cuncta deesse dolent.
Nam seu solicitus deserta cubicula lustro,
Hei mihi! quot lacrymas angulus omnis habet!
Seu matutino fulgent mihi sole fenestræ,
Cynthia seu niveis has mihi visit equis;
Ambo, TE absentem dum rescivere, Planetæ,
Avertunt laribus lumina moesta meis.
Seu vespertinis signum dedit area ludis,

Area

Area, quæ præter limina ſacra iacet;
Agmina luſorum per eam taciturna vagantur,
Nec tamen, ut quondam, plauſibus aura ſonat.
Omneis TE abſentem, verbiſque, oculiſque requirunt:
Nemo et non moeſtus quærere pergit „ *ubi eſt?*
Nec pila perque manus, perque auras, læta vagatur,
Nec ſolitis plauſam ſaltibus urget humum.
Ille etiam Tuus excubitor, tuus ille ſatelles
TASA, puer quo non nequior ullus erat;
Ut Tibi ſe reddat, miſerum me linquere ſolum,
Atque Berezdovum transfuga tentat iter!
Ergo age, tam moeſtum quo conſoleris amicum,
Vivere TE, et vegetum ſcribe valere. Vale.

ROGE-

ROGERIUS JOSEPHUS BOSCOVICH FRANCISCO MICHAELI LESNIEVIO, POETAE ELEGANTISS. S. P. D.

VARSAVIA. 1762.

Condona miſeri tam longa ſilentia Vatis,
O Vates, culti gloria prima chori.
Me plectrum, et chordas vetuit tractare ſonanteis
Vranie, et Latiis iungere verba modis:
Perque diem vultus Phœbi ſpectare nitenteis,
Per noctem fuſco ſidera ſparſa polo,
Juſſit, , et obſcura Triviam Telluris in umbra,
Et magni comites, aſtra minora, Jovis,
Seu, domino rapiente iubar, turbata lateſcant,
Seu ſe iterum oſtentent lumine ſparſa novo:
Nigranteiſque tubos clavis ſuſpendere ab altis,
Incluſa & lenta fila (1) movere manu:
Et motus poſitumque axis metirier, et qua (2)
Urbs ſedeat noſtri Regia parte globi.
Juſſit: at heu! miſerum luſit quam ſæpe clientem,
Rumpere et incoeptum dura coëgit opus,
Jam ſubita purum turpans caligine, jamque,
Obductum condens nube nigrante polum.

---

1) *Micrometri fila.*
2) *Longitudinem, ac latitudinem geographicam, Varſaviæ.*

 Tum

Tum dolor, atque imis rabies infuſa medullis
Æſtuat, et toto ſævit acerba ſinu
I tunc, et pura deduc bona carmina vena,
Et dulces effer voce tremente modos!
Carmina ſeceſſum ſcribentis, et otia quærunt,
Nec veniunt, animo ſit niſi parta quies:
At mihi Diva ferox hæc ſuſtulit omnia, nec jam
Placandæ ſupereſt ſpes mihi rapta deæ.

DEI-

DEIPHILUS ISMARIENSIS PASTOR ARCAS ANNÆ PRINCIPI, DOMO SAPIEHANÆ, CONNUBIO JABLONOVIÆ, PALATINÆ BRATISLAVIENSI, MAGNÆ LITERARUM, LITERATORUMQUE FAUTRICI, HOC PERENNE GRATI ANIMI MONUMENTUM D. D. D.

Sæcula TE, PRINCEPS, Tantam ſi priſca tuliſſent,
Et Tibi Pierium Muſa dicaret epos:
Sedula PATRONAM, multumque, Clienta rogaret,
Quod cuperes Magnæ nomen habere Deæ,
Namque Tibi et LITAVI, Terrarum Numina, longum
Sanguinis Heroi Stemma dedere DUCES:
Et divinarum tanta hæc miracula dotum,
Queis animus cunctos, queis Tua forma rapit,
Romula vidiſſet ſi quondam, aut Graia Vetuſtas,
Templa Sacræ poterant emeruiſſe Deæ.
Hanc ſpeciem vultus, hæc terſæ ſidera frontis,
Quaſque Tibi pinxit purpura viva genas,
Præ vultu Cypriæ coluiſſet tota Diones
Thure ſacro, atque Aris, Hellas & Heſperia.

 Hoc

Hoc celfis ingens humeris decus, hæc maieftas,
Hæc geftus gravitas, hic gradienti honos,
TE Lacedæmoniæ poterant præferre Dianæ,
Atque Tuos mallet Cynthus et Offa choros.
Hoc blando obtutu, mira hac dulcedine linguæ,
Hac bonitate animi, Gratia prima fores.
Tu regeres juftam cœlo Themis altera Libram,
Sicelis in terris Tu colerere Ceres.
Imperium oceani Tibi cederet omnibus undis
Omnis Nereidum turba, fecuta Thetin.
At mea TE quonam facrabit Numine Mufa,
Dum Tibi pollicitos fert, Tua iuffa, libros?
Quid rogo, iam dignum nomen, numenque dedere,
Dotibus et meritis omnia Regna Tuis.
Sarmatiden cuncta Europe. TE PALLADA pridem
Sarmatiæ Terris invidet, atque colit.
Namque quid arcani tam alte Natura recondit,
Ingenium ut fallat. MAGNA MINERVA, Tuum?
Quid mare, quid tellus, quid cœli fidera, et ignes,
Obiecere oculis, quid tenuere finu:
Quod Tua non penitus divina fpientia totum
Cum caufis norit, perfpiciatque, fuis?
Hoc ftupuere Sophis, hoc totis Regna Lyceis
Omnia, præfentem TE venerata Deam.
Hoc Rheno, hoc toto Germania prædicat Iftro:
Hæc Gallis vox eft Urbibus, hæc Batavis.
Hoc Tamefi, totoque mari, celebrare Britannus,
Hoc Tiberi gaudet Roma fonare fuo:
Hoc

Hoc et, terrificas vifus Tibi Vefvius iras
Ponere, et in faciem fe dare Paufilypi
Sed quid ego humanis macto Te laudibus, unâ
Quæ commendari Religione velis?
Cuius enim in fuperos Tu non Pietatis imago, es?
Quæ Te in mortales non celebrat Bonitas?
Hoc Tibi tot Templis, hoc tot teftabitur Aris,
Tam pius hic Summi cultus honorque DEI.
Hoc opibus recreata Tuis mortalis Egeftas,
Nobilis hoc ftudiis culta Juventa Tuis.
Hoc et Deiphili volvet quæ fera libellos,
Nunquam ceffabit dicere Pofteritas.

VIRI MAXIMI, EJUSDEMQUE CIVIS OPTIMI, IMAGO, IMMORTALI GLORIÆ STANISLAI POTOCII, PALATINI RUSSIÆ DEDICATA.

Viva Virum Illuftrem, Meritifque et Sanguine Magnum,
Atque eadem Civem pingat imago Bonum:
Qui ferie prælonga Atavis Heroibus ortus
Æquet Avos meritis, ex fuperetque Nepos:
Qui referat prifcos animi gravitate Catones,
Qui bonitate Titos, religione Numas:
Qui Patrii prælustre iubar lumenque Senatus
Eloquifque ornet, confilioque Togam.
Qui

Qui magno Heroæ ſubnixus robore Mentis,
Spiret Alexandros, Scipiadaſque Sago.
Qui proprias effundat opes, ut prodigus auri
Augeat armatis patria caſtra viris:
Crimine qui tacito meditantes arma rebelles
Opprimat, in tenebris conficiatque ſuis:
Qui peſte afflatos Cives miſeratus egenos
Munifica accurrens recreet ipſe manu:
Qui ſub Threiicii vicina incendia belli
Tam tutum Patriæ ſervet ab igne latus:
Poſce Viri nomen, iurabo „ POTOCIUS hic eſt!
Nempe Palatinus Ruſſia noſtra Tuus.



EPIGRAMMATA.

F. M. Lesnievii
SELECTIORUM EPIGRAMMATUM MANTISSA.

I.

In saperdas.

Quod fuerat quondam Romæ genus ardelionum, (a)
Id iam orbe prorsus universo est diditum,
Innumeros et ubique ciet gens cæca tumultus,
Qui sæpe risum, sæpe bilem commovent.
Nec tamen insanum genus hoc insanius unquam est.
Aliena quam dum scripta inepte iudicat.
Namque legant siquid saperdæ hi, quod fugit illos,

Qua

a) *Alludit ad illud Phædri lib. 2. fab. 5.*
Est ardelionum Romæ quædam natio.

Qua temeritate reprehendunt ! corrigunt !
Væ misero scriptori, horum siqui unguibus hæsit.
Fungus videtur, talpave, istis lyncibus !
Novi ego Sapricium cerebroso hoc e grege mystam
Omnia scit : at reapse nil, nisi bibere.
Ille Evangelium belle ut correxerit, audi.
Canebat illum publice in sacris locum,
Regnum ubi Cœlonum fertur simile esse sagenæ (b)
Sed nesciit, sagena quid rei foret.
Ergo indignatus graviter mendoque, libroque,
Simile lagenæ voce dixit maxima.

II.

JOSEPHO NOVICIO, *Amico longe carissimo, extremum vale dicit.*

Visere Te, JOSEPHE, fuit mihi vivere : quæris,
Quid sit, non post hac visere posse ? mori est.

III.

Ad Priscum.

Quod Spes, Prisce, tuas fefellit ille
Quodque alter tua vota lusit ille,
De quo conquereris, vetus sodalis,
Nec Galli tibi pulverem Nicoti,

V.

b) *Matth. XIII. 47.*

Nasi delicias, uterque misit;
Ignoscas, veniam precantur, ambo.
Non te crediderant habere nasum.

IV.

FERDINANDUS IV AGUSTI III. *Poloniarum Regis Nepos carissimus, utriusque Siciliæ Rex PUER, anno M DCC. LX. I. pridie idus Januarias horrendo dehiscentis Vesuvii fragore minime a somno excitatus.*

AD AUGUSTUM III. REGEM POLONIÆ.

Dum flammas vomit, et vomit favillas,
Terrasque amnibus igneis inundat,
Jactis astraque terret ipsa saxis,
Verbo, dum vomit inferos Vesevus;
Vi tandem caput impium suâmet
Disruptus subitam dedit ruinam,
Heu ! quam terrificam, Deus ! ruinam.
Concussis tremuere cuncta terris.
Concusso tremuere cuncta ponto.
At REGEM PUERUM, tenet quietus,
REX AUGUSTE, Tuum sopor Nepotem.
Quam dignum, Superi ! hoc AVO Nepotem !
Dormit suavius Aureus Puellus:
Dormitque altius Aureus Puellus.
Quid dicam ? cui tam minax ruina
Vi tanta eripere, et fragore tanto,
Tantillum, puero boni nequivit;

Illi

Illi, dum vigil, et vir, arma ſtringet;
Partem Regiſicæ beatitatis
Quæ vis, aut quibus auferet lacertis?

V.

In ADAMI PRINCIPIS CZARTORISCII cum FLEMMINGIA nuptias.

CZARTORISCIADÆ FLEMMINGIA ſponſa Marito
Eſt data? non fuerat, fauſtior ullus Hymen!
Non melius puræ miſcentur cinnama myrrhæ;
Punica Theſeis non melimela favis.
Quale decus vites ulmis, et vitibus ulmi,
Quale verecundis lilia miſta roſis:
Quale auro incluſis, flavo a Gangete lapillis,
Tale tibi, SPONSA, eſt, taleque SPONSE, tibi.
Immo SPONSE, tibi decus eſt, et gratia maior:
Eſtque itidem maior gratia SPONSA, tibi.
Sic Venus Anchiſen decuit Briſeis Achillem,
Ilia ſic Martem Romula, Juno Jovem.

VI.

In effigiem Hieronymi LAGOMARSINI e S. I.

Eſt LAGOMARSINUS vultu, ſed pingere vocem
Si liceat, quivis dixerit, eſt CICERO.

VII.

VII.

Polonia in ſua tabula, male hactenus a Geographis edi ſolita, JOSEPHI PRINCIPIS JABLONOVII Palat. Novogr. manum ac opem implorat.

Ah! ego, quæ in vero ſum pars tam culta periplo
Et oppidis, et urbibus,
Sum pene in picto, miſeranda Polonia mundo
Infame mundi dedecus.
Chalcographi rapuere urbes, quas Turca nequivit,
Dum ſuſtulere nomina.
Americen credant me, Siberiamve, remoti,
Spectando ſolitudines.
Ipſi adeo cives Libyen me dicere poſſint,
Tot monſtra verborum fero.
Eripe me his, o docte, malis, et maxime PRINCEPS
Unus potes, ſcis omnia.
Sim mea, quin ego ſim, quæ nec mea, nec ſum ego adusque,
Probro et dolore maximo.
Si dono, DUX Magne, tuo, mea, ſique ego fiam;
Ero meo dono tua.

VIII.

VIII.

Ad litteras Nobilissimi Adolescentis Valeriani TĄGOBORSCII responsum.

Id credam? meus es VALERIANE?
Sic lectissima, sic (recordor) olim
Tecum suaviter est iocata Mater,
Crebro teque meum iubebat esse,
Affectu, obsequiisque, cultibusque.
At tu jam joca seriisque verbis
Mutasti sua, seriisque factis,
Æternum fore te meum professus.
O pulcherrime flos juvenculorum,
Matris delicium, VALERIANE,
Tanta te mihi liberalitate
Qui non addubitas dicare totum,
Unam, si potes, adde lætus unam
Dono literulam tuo, MEUMQUE
Quem spondes fore, fac! fac esse MECUM!

Ad

IX.

Ad Franciscum BOHOMOLEC *e S. I. qui Auctori silentium literarum amice obiecerat, orsus ab hoc versiculo,* Respondent sylvæ. *Par pari redditum amice.*

Respondent sylvæ, respondent saxa loquenti.
Et statuas verbis insonuisse scio.
Tu tamen et sylvis, et saxis surdior aspris,
Altius et muto Sigalione silens,
Ad mea, quæ toties repeto, nil vota reponis,
Et surda miseras excipis aure preces.
Qui potes hoc insontem, inquis, *respergere nævo?*
Non te ipso hoc tantum teste revinco probrum?
Non scripsi toties? Sane quater haud nego factum.
Respondisse tamen te nego, et usque nego.
Atqui, ais, *adversis hæc pugnant frontibus audi*.
Non responsa dabas, sed mihi verba dabas.

X.

Paupertas Religiosa Ænigma.

Sum nihil, et sum res. Si quo veni, omnia tollo:
Sed rapui siqueis omnia; cuncta dedi.

Ip-

Ipse mei desiderio Deus astra reliquit,
Et reperit terris, qua caruere poli.
Me tamen in terras secum is deduxit ab astris;
Nuiquam etenim in terris ante reperta fui.
Æterni, me siquis amet, jus confero Regni.
Ipsa tamen quod ei confero, nunquam habui
Quippe licet cœlo deducta, et maxima Virtus,
Attamen in cœlo nec fueram, nec ero.

XI.

Pro CLEMENTE XIII. PONT. MAX. ex oculis laborante votum.

Dia SALUS, que terrigenas facis una beatos,
Et quæ beatos una reddis Cœlites,
Id pateris, Pater ut Summus, Princepsque bonorum
Quo terra majus, quo nihil melius habet,
Jis oculis æger qua nescio peste laboret,
Quibus Soloque idem, Poloque prospicit?
Communi succurre Patri! succurre dolori,
A quo universis tam male est mortalibus!
Nec mora fit, si non properas, si lenta moraris,
Periclitari senties te ipsam brevi.

XII.

XII.

DAUNIO extincto carmen funebre. Cum falsus rumor fuisset sparsus, Heroëm istum calendis februarii, anno 1761. repentina morte obiisse.

Proh! crimen! Februariæ calendæ!
Ejus non puduit videre letum,
Quem leti impavidum, morísque certum,
Dum per tela ruit, ruit per igneis,
Mactare erubuit ferox Enyo?
Quem! quem iam Austriaci ducem manipli,
Quem Victoria læta, quem Triumphi,
Quem Spes Imperii diu labantis,
Quem Pax aurea, Vindicem sequentur?
Proh crimen! Februariæ calendæ!
Plus vester sceleris patravit unus
Atrox ille dies, dies nefandus,
Annis quam liceat piare cunctis,
Annis quam liceat dolere cunctis.
Non! non ille dies peremit unum,
Omnes Austriacos peremit una!

XIII.

Epitaphium eidem.

Quicunque lapidem hunc præteris, nec es lapis,
Spargito profusis triste bustum lacrymis.

Parvus quiescit DAUNII Magni heic cinis!
Cinisne vero DAUNII? o casum gravem!
Salus ruentis heic sepulta est IMPERI!

XIV.

Ad Franciscum BOHOMOLEC e S. I.

Ævo scribere me Catulliano
Noc indigna, BOHOMOLECE iactas,
Mactatumque putas honore tanto
At mi laudis id ut parum videtur!
Quin imo ut nihil! et Catullianum
Suffenos tulit, ac malos Aquinos . . .
Sed quidnam hac ego colligo venena?
Ævum quodque tulit malos Poëtas:
Ævum quodque feret malos Poëtas.
Ergo, ni prohibent Novem Sorores,
Ne tu scribere me Catulliano
Dicas tempore digna, sed Catullo.

XV.

Famam de morte DAUNII falso dissitam objurgat.

Scelesta fama! te tuis mendaciis
Ausam nefando habuisse nos ludibrio?
Vulgus per omne fraudulenter didita
Nos morte Magni terruisse DAUNII?
Furiosa Mundi flamma! pestis aurium!
Ludibriorum venditrix! fraudum parens!
Tur-

Turbo quietis publicæ, et pacis chaos!
Scelerata! quin palinodiam actutum canis.
Dic orbe toto, DAUNIUM dic VIVERE.
Tantumne vero VIVERE? adde et VINCERE!

XVI.

Ex eodem argumento.

Nuper ubi extincti deplorat funera DAUNI,
Squaletque miseris luctibus GERMANIA;
Ecce repentinus contraria nuntius affert,
Docetque et vivere, et valere DAUNIUM.
Exsiluisse ferunt lætam, ceu siquis ademptam
Vivere SALUTEM nuntiasset IMPERI.
Odi, addebat ovans, vanæ mendacia famæ,
Falsisque quidquid spargitur rumoribus:
Sed tamen hoc quanto est vel Te ipsa gratius,
in — quit,
(Ignosce Sancta VERITAS) mendacium!

XVII.

In novum RIVII Galli inventum, qui ex Apocyni herbæ lanugine pretiosam telam contexere primus instituit anno 1760.

Dum triplicis consueta agitat commercia Mundi,
Visebat Stygias fors Tegeæus aquas.

 Mul-

Multaque ſuſpenſis referebat nuntius Umbris,
Quæ tum homines, ſuperi quæ gererentquæ dei.
Illa inter narrabat, uti nova Rivius *) auctor,
Gallus homo, terris ſerica texta daret.
Forte ſub hæc Germanorum longo ordine Manes
Ad ſtygii ripas cœtum habuere lacus.
His de multiplici tum Waſſenbergius arte,
Qua ſpoliet Gentes Gallia, legit Opus.
AURIFODINA Operi nomen (d) poſtremus in arte
Sed decumanus, erant GALLICA TEXTA dolus.
Heic aliquis, dum, Mercurius quæ nuntiet audit,
Ohe! abſiſte, inquit, tandem Everarde, queri!
Quæ ſpoliabat adhuc, audin? iam Gallia veſtit.
Ille autem „ Imo magis iam ſpoliabit, ait.

XVIII

*) *Mr. de la Riviere.*

d) *Mentionem facit Poëta de libello, qui inſcribitur*, Auri fodina Gallica: Ordinibus Imperii Romani ab Everardo Waſſenbergio reſerata et obſtructa anno 1672. *Quo in libello præter alia, id quoque conatur oſtendere ſuus auctor, præcipuam in emungendis auro Germanis aliiſque populis, artem Gallicam novis in dies exquiſitæ textrinæ deliciis, noviſque veſtium comminiſcendis modis, contineri. Id jure, an injuria, Scriptor ille adfirmet, noſtra quidem ſerio diſceptare nihil intereſt. liberalem inde iocum captare nemini non licet.*

XVIII.

Literarum et Annorum Gloria, MARIÆ TERESSIÆ AUSTRIACÆ, Romanorum Imperatrici Auguſtæ, vindicata.

Quæ nova Romanus miracula ſuſpicit Orbis?
Fœmina ſupremum Gloriæ faſtigium
Artibus et pacis tenet, et victricibus armis?
Tenet Imperatricum Jubar TERESSIA!
Doctis culta Viris Germania, culta Lyceis,
Sibi ſtupori eſt, doctior quam unquam fuit.
Ipſæ adeo cultuquæ novo, fructuque ſuperbæ,
Geſtire pergunt gaudio Scientiæ,
Se modo tam faciles captu, tanta arte politas,
Poſuiſſe, quidquid horridum, ac aſprum fuit:
Nec ſpinis horrere illis, quas mollior ætas
Penetrare nequiit, quin cruore tingeret.
His lætam Imperii REGINA TERESSIA Pacem
Ornare donis pergit immortalibus.
Quanta autem Armorum laus eſt! quæ Gloria Martis!
Victorioſo quam coruſcæ fulmine
Romulides volitant Aquilæ, lætæ Auſpice tanta!
Quam te vocabo Auguſta? Tu ſcientias
Immenſo complexa animo? Tu tota es in armis?
DIVINA SALVE SÆCULI PALLAS TUI!

XIX

XIX.

Idem diſticho comprehenſum.

Excolis ingenuas Artes, Armiſque coruſcas
AUGUSTA? quænam es? SÆCULI PALLAS TUI.

XX.

De Oratione, quam Vir Illuſtriſſimus Venceslaus RZEWUSKI Palatinus Podoliæ, Copiarum Regni DUX, in funere ſui Parentis Stanislai Matthæi Palatini Belzen. Summi Copiarum Regni Ductoris, habuit olim Leopoli anno 1729 quamque Poëta latinitate poſtea donaverat. Ad lectorem.

Facundæ quicunque ſtupes miracula linguæ,
Pagina queis animum perculit iſta tuum;
Depoſito prudens mirari abſiſte ſtupore.
Quod legis, humanæ non fuit artis opus.
Scilicet AUCTORIS quæ plurima pectore regnat,
Ingenio id Virtus edidit ipſa ſuo.
Materiam nam cana Fides, at natus Amore
Suggeſſit lacrymas et pia verba Dolor.
Addidit ingenuas Pudibunda Modeſtia laudes:
Ordine digeſſit Mens Bona, dixit Amor.

XXI.

Ad Joſephum GLOVERUM è S. I. Collegii Nobilium Leopoli Rectorem, cum in Leopolienſi Accademia honores DOCTORIS THEOLOGI conſecutus eſſet.

DOCTORUM nova lux, iubarque, RECTOR,
Auguſtis cui Literata doctum,
Divino ſapientiæ Magiſtro,
Sertis Gloria verticem revinxit,
Macte his promeriti notis honoris!
Neu, quam fugeris hactenus rogantem,
Illam tandem aliquando Te potitam,
Triſtem diſſimulando redde Laudem.
Non ſum, clamitat illa, tanta non ſum,
Majorem ut meritis putare poſſis.
DOCTOREM Sapientiæ vocari,
Eſt magnum fateor. Sed iſta majus
Cultura ingenii decus meretur.
Is plenam Tibi det Tuamque Laudem,
Magnam Nobilium Scientiarum
Qui Te dixerit UNIVERSITATEM

XXII.

XXII.

Ad eundem.

Dum tibi divinam confert Sapientia laurum,
DOCTORIBUSQUE THEOLOGIS te interserit,
Forte illi ambiguam traxit sententia mentem,
Quo te decore nominis distingueret.
ANGELICUM primo, ut mores meruere, vocabat,
SUBTILIS inde nomen aptabat tibi,
Ac etiam EXIMII, tum cætera talia, Magnis
Dedisset olim quæ lubens DOCTORIBUS.
Omnia conveniunt, sed sunt tamen omnia, dixit,
Ante occupata habeat hic ergo proprium.
Nobilium Rector qui pridem est nobilis, ille
Jam DOCTOR, inquit, esto NOBILISSIMUS.

XXIII.

Ad BENEDICTUM CHARLETIUM Medicum.

Poscis me Benedicte pia de morte libellos?
Ede prius, cujus munus id esse velis.
Numne, valetudo quorum est tibi vitaque curæ,
Non dabo Numne tuum? do legito, morere.

XXIV.

XXIV.

Ad Jacobum GADOMSKI è S. I. cum is Auctori sacras e tunica S. FRANCISCI Assisinatis Reliquias misisset dono.

Munus nobile, liberale, sanctum,
Quo donas Jacobe, nec rogantem,
Nec quidquam meritum, quibus recepi
Nuper lætitiisque, gaudiisque,
Nullis assequar, explicemque verbis.
Ne desideriis tamen putato
Te fecisse satis meis, AMICE.
Sunt! sunt Relliquiæ sacratiores,
Quas o si mihi, si dares petenti,
Quo me munere redderes beatum!
Est multum, tunicæve, palliive,
Tanti, quantus erat meus, PATRONI,
Tantillam tenuisse portionem.
Me si tu tamen esse vis beatum,
COR, fac! COR habeam mei PATRONI!

XXV.

Ad GREGORIUM PIRAMOVICIUM e S. I.

Quod tantos, bone GREGORI, favores
Ille amplissimus, ille gloriosus,

Ac

Ac una placidissimus PATRONUS,
Immo vero PATER tuus, meusque,
In te largior usque et usque confert:
Istud quam tibi gratuler, mihique,
Non ullis licet explicare verbis.
Cœlos vertice me ferire credo!
Cœlos vertice te ferire mando!
Sed quidnam tibi, quid subit precari?
Te tanto insinuem ut magis PATRONO?
Noli te precor. Impetrare quidvis
A me tu potes, hoc nego, et negabo.
Dum tantum favet hic tibi clienti,
Quantum tu mihi gloriaris ultro;
Felicem puto me; puto beatum.
Quodsi plus tibi faverit, verebor
Ne fiam miser invidere possim.
Ambi (nil veto) gratiosus ambi
Vel summos mediocrium favores.
Tantus cui aliquid favet PATRONUS,
Multum, credito, gratulanda res est:
Multum si favet, invidenda res est.

XXVI.

In munitissimam Silesiæ Urbem Suidniciam insigni strategemate a fortissimo copiarum Cæsarearum Duce LAUDONIO intra tres horas captam anno 1761 calendis octobribus.

Dum vigil intento LAUDONIUS imminet hosti,
Et cavet instructos, et struit ipse dolos;
Fallere conantem fallit, prior arte Borussum.
Proh! quem, per Superos! fallere quem potuit!
I! sequere AUSTRIACOS Suidnicia capta triumphos
Nec tibi prodigio fit, potuisse capi.
Nam quid? te captam Duce tu mireris ab illo,
REX a quo captum se tuus ipse stupet?

XXVII.

Ex eodem argumento.

Dum capta Austriacis tulisset armis
Suidnicensia munimenta MAGNO
Cladis nuntia fama FRIDERICO;
Illum, vulnere saucium repenti,
Alti dissimulare vim doloris
Conantem, tamen hæc, ferunt dedisse:
„ Non LAUDONE, dolemus urbe capta.
„ Nos quod ceperis, inquit, hoc dolemus!

XXVIII.

Ex eodem argumento Proſopopoeia.

October ſemel, et ſemel November,
Veſtris, Auſtriaci, ſubegit armis
Bis captæ mihi, FRIDERICUS inquit,
Urbis mœnia plaudito te! vobis
October, favet, et favet November.
At noſtrum, jubeo, timete Aprilem. e)

XXIX.

Ad Venceslaum REVUSCIUM Palatinum Podoliæ, Campeſtrem Copiarum Regni Ducem.

Inclyte Dux armis, Dux artibus inclyte pacis,
Qui tantum omni genæ laudis honore vales:
Quem videt in Patriis Fabium Sapientia caſtris,
Purpureus Conſum quemque Senatus habet:
Cui tanta Eloquii vis eſt, dulcedoque, quantam

Ar-

e) *Suidniciam Auſtriacus cepit 1757. 14. Novembris. Boruſſus recepit anno ſequ. 16. Aprilis. iterum Auſtriacus cepit tempore ſuperius jam indicato, iterum perditurus in ſequenti Aprili. Divinavit proinde Auctor, qui hos verſiculos A. C. 1761. menſe octobri ſcripſit.*

Arpinas cupiat Tullius eſſe ſuam.
Denique qui tanto Patriæ communis amore,
Quique fide, CIVIS tam BONUS eſſe ſtudes;
Martia quam Decios, quam vidit Roma Camillos,
Quam celebratque pios Attica priſca Codros:
Tot ſimul, ac tantis, fulges qui laudibus unus,
Dic age, quæ ſumma eſt laus tua iudice Te?
„ Eſt, ait, armorum, eſt aliquid mihi gloria ſuadæ,
„ Eſt trabeæ: at CIVIS gloria ſumma BONI eſt.

XXX.

In Titum.

Multum nos Titus, et diu, rogavit,
Fas eſſet ſibi, ſcriptitare nobis,
Quæ rumor nova publicus tuliſſet.
Aſſenſi cupidus, tamen rogavi,
Noſtra ne ſibi gratia moleſtus,
Neu incommodus eſſe vellet unquam.
Siquid ſcriberet, id vel otioſus,
Vel ſaltem faceret parum occupatus.
Illo ex tempore nil meus, nihilque
Perſcripſit Titus. O benignitatem!
Quam ſe ſe facilem dedit roganti!

XXXI.

XXXI.

Memorabile fortissimi Centurionis Galli facinus.

Bellandi studio, pulchræque cupidine palmæ,
 Ver agit excitos undique in arma viros. f)
Interea totis ardentem in prælia Gallum
 Visceribus, morbi vis inimica premit.
Nescio quod vitium est oculo, longamque medentum
 Pestis in affecto lumine poscit opem.
Ergo animi impatiens, ferro mihi vellite, dixit,
 Ferro oculum, et laudis demite fronte moram.
Nec secus ac statuit, medicos fecisse coëgit:
 Armaque mox rapiens. Vestphala castra petit.
Heic tua quærendæ, Cæsar, compendia laudis.
 Porro etiam iactes? victus es arte viri.
VENI, inquis, VIDI, VICIQUE: at Gallicus heros,
 Ut mihi, ait, cedat palma, VENIRE sat est.

Id

f) *Anno 1762.*

XXXII.

Id ipsum aliter.

VENI Julius inquit, atque VIDI,
Et VICI tribus his mihi triumphus,
His victi steterant tropæa Ponti.
Ussit tam celeris cupido palmæ
Gallum Cæsaris æmulum, ferocem,
Et „ jam denique pauciora faxo,
Inquit, Cæsare, pomptiusque vincam.
Pugnandum! manus huc pedesque adeste!
Ne ducant oculi moram videndo,
Æternum valeat secundus alter.

XXXIII.

Ad Cæcilium Cassianum de SARBIEVIO.

Quis in novorum maximus Vatum choro
Teneat Latini principatum barbiti,
Nil est quod a me Cassiane discrepes.
Ni discrepare a Delio et Musis placet,
Palma hæc Polono debita est Horatio.
„ Et Gallus, inquis, enthea, FRIZONIUS,
„ Et Belga VALLIUS pari insonat lyra,
„ Idem æmulantur, Theutonusque BALDIUS,
„ Italusque MASCULUS, atque Ruthenus CANON.

Æquum

Æquum me habebis Caſſiane judicem,
Idem et trecenti, fateor ultro, cæteri.
Sed noſtin' inter illum et hos quid intereſt ?
Eſt unus ille, quidquid iſti cæteri,
Quod ille tamen eſt, non item hi ſunt cæteri;
Namque inter iſtos Vallios, Frizonios,
Italoſque Maſculos, Rnthenoſque Canones,
Verbo, inter omnes, Caſſiane, cæteros,
Eſt ſolus ille, maſculus, ſolus canon.

XXXIV.

In ipſum brevius.

Te modo FRIZONI, rapiunt modo barbita VALLI,
Et modo te mulcet MASCULUS, atque CANON,
Me quoque delectant. Lyricos tamen unicus inter
SARBIVIUS genio eſt maſculus, arte canon.

XXXV.

Cum Rogerius Joſephus BOSCOVICH è S. I. ex Byzantino itinere Leopolium divertiſſet, ibique ab Auctore ex Volhynia reverſo ſalutaretur 1762.

Cultam Roſſiaci LEONIS Urbem
Dum nuper repeto vetuſtus hoſpes,
Muſarum chorus, Univerſitaſque
Omnis Nobilium Scientiarum,
Per montis juga proximi ſuperbos
Inter carmina duxerant triumphos,
Concentum et deciesque, centiesque,
Certatim geminaverantque colles,
Certatim geminaverantque valles.
Mirabar, cui, gaudiiſque tantis,
Tantis lætitiiſque plauderetur,
Cum Divæ unanimi ſonore cunctæ:
„ Muſarum iubar illud, ille ſplendor,
„ BOSCOVICHIUS haud opinus hoſpes,
„ Noſtram eſt viſere non gravatus urbem.
Percuſſit novitas rei ſtupentem,
Qui caſuſve, deuſve, tam beatas
Noſtras reddiderit ſecundus oras.
At diva Uranie „ Hoſpitem, profatur,
„ Cœlo conſcia teſtor eſſe lapſum.

XXXVI.

De eodem Bibliothecam Academicam invisente.

Emortuorum dum magiſtrorum ſcholam
In bibliotheca viſitat Academica
Jubar eruditi BOSCOVICHIUS chori,
Denſi Virorum literatorum ordines
Pluteos per omnes, e ſuo quivis libro,
Canos ſenecta protulere vertices:
Frontemque veteri quiſque tergens pulvere,
Barbamque mulcens, Hoſpiti inclinat caput,
Olli ſalutem et maximus dicit Plato,
Toto Sophorum admurmurante exercitu;
Olli et Latinæ lumen eloquentiæ
Manumque tendit, oſque pandit Tullius:
Et qui Latinis Vatibus præeſt Maro,
Acclinat ultro laureata tempora,
Colitque noſcitans *) ANIGRÆUM Arcadem.
Hæc inter, Columen et Parens Matheſeos,
Sphæra Archimedes derepente prominens,
Oculoque vitreum ſeni admovens tubum,
Salve o mearum, dixit, hæres artium,
Terræque Regnis, Ætheriſque, cognite!
Sed quod ſtupendum conſpicor miraculum?
Dum

*) *P. Boſcovich Numenii Anigræi nomen inter Arcades habet.*

Dum quippe noſtram hanc viſitas Hoſpes domum,
Major minore bibliotheca includitur,
Minor et locatum majus ambivit locus!

XXXVII.

Ad eundem Varſaviam.

Forſan in Italiam noſtros tecum ire Phaleucos,
Romuleæque iubes Urbis adire forum.
Oh! ne coge precor, Vatum Clariſſime! tantam
Inſoliti lucem, crede, videre timent:
Aut, tibi nulla ſui ratio ſi forte timoris
Ducitur, hanc ſaltem, quæſo, doloris habe.
A decimo ſextus confracto eſt crure miſellus
Verſiculus: tantam non valet ire viam.

XXXVIII.

Ad Severinum RZEWUSCIUM, summorum rei militaris in Polonia Præsidum Nepotem et Filium, Tribunum militarem fortissimum jam hodie universorum Regni exercituum Ducem, cujus incredibili inbonas artes munificentia in lucem hæc prodeunt, eundemque Poëtam clarissimum.

Fulmen, Agenoreas quo primum exteruit arces,
Et luscum obtrivit Martia Roma Ducem,
Scipiades, faustis quantus celebratur ab armis,
Tantus et a placito carmine semper erit.
Prima Viro æternæ laudis seges, ANNIBAL HOSTIS:
Altera, qui sequitur castra, POETA CLIENS.
Macte animo, veterum felicior æmule laudum,
Utraque, RZEWUSCI, laus tua major erit.
Magnorum tu nempe Ducum Natusque, Neposque,
Marte hosti Patrem, Marte minaris Avum.
Sic animo duo Scipiadas geris unicus Heros:
Nec satis et Vati gloria major adest.
Scipiades animo, versu Ennius, unus et idem
Felici tractas carmen et arma manu.

XXXIX.

XXXIX.

In tres RZEWUSCIOS, Illustrissimi Palatini Podoliæ filios, dum Varsaviam ad Generalia Regni Comitia, anno 1762. publice mitterentur Legati.

Nuper, ubi Rzewusciadas Respublica fratres,
Legatos, cœtum gentis adire iubet;
Ite meæ, dixit, Juvenes, Spes magna salutis!
Ite boni, et rebus prospicitote meis!
Dumque ferenda olim pleno sententia Cœtu
De Patria vobis ordine sortis erit;
Alte animis, oro, antiquos versate Poloni
Nominis Heroas, Conciliique Patres.
Quales priscus avos habuit, proavosque senatus;
Quo studio in Patriæ commoda, quaque fide.
Imo nihil proavos, inquit, memorare necesse est:
Hoc sat erit: vestrum figite mente PATREM.

XL.

XL.

In effigiem Hieronymi LAGOMARSINI *è S. I. in horto Collegii Academici Leopoliensis collocatam.*

Ad Hospitem.

Cemere vis, toto hoc quid sit cultissimum in horto?
Aspice tam culti vultum animumque Viri.

XLI.

Rogerius Jos. BOSCOVICH *Auctori Varsaviâ* 1762.

„ Quid metuis Vatum cultissime, si tua mecum,
„ Discedant oras carmina ad Hesperias?
„ Ipsa inculta vocas? jam Musa inculta Tibulli,
„ Jam Naso incultus, jamque Catullus erit.
„ Illa quidem Latias erecta fronte per Urbeis
„ Arcadico incedent invidiosa choro.
„ Si libeat veteres ollis componere Vates,
„ Victa cadet Musæ turba lepore tuæ.
„ Nec metuent nimium confracto crure laborem,
„ Si modo confractum crus ibi versus habet.
„ Nam-

„ Namque hic nunc totam, me dimittente, per urbem
„ Discurrunt, doctis lecta, relecta, Viris.
„ Ipse feram gremio pondus mihi dulce, nec ullo
„ Lanquescent longæ fessa labore viæ.
„ Nec pudor est, si crure labant. Quis figat ineptus
„ Crure oculos, tantum dum videt ore decus?

XLII.

Auctor BOSCOVICHIO, *de nubila cœli facie conquesto Varsaviam.*

URANIES toto Mystes clarissime cœlo,
Templa cui Superum, cui Jovis aula patet:
Ne frustra immeritis fuscas onerato querelis
Solicitus noctes, neve onerato dies.
Parce et iniqua tuæ tibi dicere numina DIVÆ:
Omnibus irata est, ni favet illa tibi.
„ At mihi sidereos toties, mea gaudia, vultus,
„ Jam nigra nox, inquis, jam rapit atra dies.
Frustra es. Te nostrum fulget dum sidere cœlum,
Majus crede mihi, Lumen habere nequit.

XLIII.

XLIII.

Adamo O . . Poëtæ.

Longa diu vacuo indices ieiunia naſo,
Naſonem interea, nec non ſua Triſtia, volvens,
Dumque deeſt ravæ pulvis tibi Ponticus herbæ,
Te de barbarico lacrymoſa volumina Ponto
Inſignem naſo poterunt recreare poëtam.

XLIV.

In pacem, quæ Gallum et Anglum inter anno 1762. cæperat coaleſcere.

Jungit, ïo, ſciſas animis Concordia gentes!
Pacis et in foedus Gallus et Anglus eunt!
Ergo parare ferox vela, arma BRITANNIA mitte:
Tuque parare ferox GALLIA mitte viros.
Pax tamen immenſis emitur tibi, GALLIA, damnis
Immenſa obveniunt lucra Britanne tibi
Foedum omen! vela, arma, viros, o GALLIA, rurſus,
Rurſus vela, viros, arma, Britanne para!

XLV.

XLV.

Canis peſſimus fabula.

Quod peſſimorum crederet canum genus,
Æſopus olim interrogatus proditur.
Rebantur omnes aut Amyclæum fore,
Aut quod Lacones, vel Moloſſi, educerent,
At ille jurans per Dianam et Cerberum,
Canis omnium, inquit, peſſumu'ſt HOMO MALUS.

XLVI.

Ex eodem argumento epigramma ad Sextum.

Quid mihi tu memoras Umbros, quid, Sexte Britannos,
Inprimiſque malos aſſeris eſſe canes?
Vin' ego rem dicam? Nullus tam peſſimus, imo
Nullus tam canis eſt, ac HOMO, Sexte MALUS.

XLVII.

S. CAROLUS BORROMÆUS calendis Novembribus mortem obit.

Feſta dies verſo dum forte recurreret anno,
Quæ SUPERUM cunctos Religioſa colit,
Di-

Divûm aliquis ſummo in terras deſpexit Olympo,
Et CAROLUM Auſonia degere vidit humo:
Miratuſque Viri coeleſtia dona, quid, inquit,
Hunc, meritum pridem ſidera, terra tenes?
Aut hodie ad ſuperas hominem traducimus oras,
Aut aliquem e SANCTIS præterit iſta dies.
Aſſenſere omnes Superi. Sic Maximus illa
In coelos CAROLUS debuit ire die.

XLVIII.

In Thraſonem.

Majorum, Thraſo, quid mihi tuorum
Devotum Patriæ ſoles cruorem,
Fortunaſque, animaſque, venditare,
Ut ſic te Deciis parem colamus? l)
Id fortaſſe tui fuere quondam.
Tu qui ſis tamen, audias docebo.
Effoeto quod in arbuto ſtolones,
Macris quod ſteriles agris avenæ,
Quod nidor morientis eſt lucernæ,
Quod craſſæ gravis halitus paludis,
Quod foedi ſcabies probroſa vultus,
Majorum decus hoc es. Imo et illud,

Quod

l) DECII, *cognomento* MURES, *tres fuere* COSS. Romani, *qui pro ſalute Patriæ ſe devoverant. Pater ſcilicet bello Gallico, filius Fruſco, nepos eo, quod Pyrrhus pro Tarentinis geſſit* Cic. I. Tuſcul. Liv.

Quod m) Duronius, helluoque Verres,
Quod foeda ingluvies n) Apiciorum,
Probroſum ſybaris quod ipſa ducat,
Et quod Sardanapalus erubeſcat.
Majores igitur crepare ceſſa.
Qui ſe vel DECIOS habere MURES
Jactarit proavos, inerſque vivat;
Non, non eſt Decius quid ergo? mus eſt.

XLIX.

m) *De Duronio hæc Valerius Maximus l.* 2. *c.* 9. *n.* 5. M. autem *inquit* Antonius, et L. Flaccus, Duronium ſenatu moverunt, quod legem, de coërcendis conviviorum ſumptibus latam, Tribunus plebis abrogaverit mirifica notæ cauſa. Quam enim impudenter Duronius roſtra conſcendit, illa dicturus,, Freni ſunt iniecti vobis, Quirites, nullo modo perpetiendi. . . Lex enim lata eſt, quæ vos eſſe frugi iubet. Abrogamus igitur iſtud horridæ vetuſtatis rubigine obſitum imperium ETENIM QUID OPUS EST LIBERTATE, SI VOLENTIBUS LUXU PERIRE, NON LICET?

n) *Apicius privati belluonis monſtrum, cum ſexcenties HS.* (*Polonici æris fere* 15000000 *decoxiſſet; ſubductiſque rationibus, centis tantum HS.* (*noſtri æris Polonici fere* 2500000 *ſupereſſe ſibi deprehendiſſet, ne fame deinceps interiret veneno ſibi vitam eripuit.* De illo Seneca *ad Helviam cap.* 10. Dio *lib.* 57. *Martialis lib.* 3. *epigram.* 22.

XLIX.

Ad Nicolaum MORSKI de ſuis nobiliſſimis fratribus pueris, qui Leopoli in Collegio Nobilium literis, et bonis moribus excolebantur.

Vidi! nec licuit videre ſolum,
Affari quoque ſæpius licebat,
Germanos tibi, NICOLAE, fratres,
Dum creber celebrem Leonis Urbem,
Et Collegia Nobilis Juventæ,
Pertæſus tetrici reviſo ruris.
Quales deliciæ tenellulorum,
Quales blanditiæque puſionum!
Quam vivax oculis relucet ignis!
Ut jam ſe ingenuo colore tota
Magnæ mentis imago fronte pingit!
Paucis omnia comprehendo verbis.
Nil jucundius iſta vidit unquam,
Nil ætatula tam puſilla maius.
Aut non ſunt pueri, ſed uniones;
Aut, ſi tu pueros vocare pergis,
Credas ſi videas, duos amores.

L.

L.

In Cæcilianum.

Millia ter centum tabulis tibi rite ſupremis
Signavit moriens, Cæciliane, pater
Ecce repente videt quartus te menſis egenum!
Qui ſubito gurges, quæſo, tot hauſit opes?
Erravi! pater ille ſuo tot millia nato,
At tibi nil miſero, Cæciliane, dedit!
Quid me irriſorem accuſas? non te ipſe NEPOTEM,
Ad nos ſi redeat, dixerit eſſe pater?

LI.

In Ruffum Poëtam maledicum.

Dente Lycambei dum me rabioſus ïambi
Appetis; impuleras dicere, Rufe latras.
Religio eſt dixiſſe ſacrum latrare poëtam!
Poſt igitur ſemper dixero RUFE CANIS.

LII.

In flores miro artificio adſimulatos.

Verna coloratis qualis neque floribus Hybla,
Nec Corcyræi pompa ſuperbit agri;
Talibus Æterni venerandas Numinis Aras
Dæ-

Dædala divino pollice pinxit acus.
Serica luteolas imitantur et aurea calthas
Stamina, Pæstanas adsimulantque rosas
Heic violas, illic amaranthos murice fingens,
Deflagrat, ac ipsas decipit ignis apes.
Naturam artifici quis adæquat imagine? Chloris
Ipsa, reor, docuit pingere: vel didicit.

LIII.

Ad Zoilum.

Non nisi vera meo configi carmine velles
Crimina? te semper, Zoile, crede peti.

LIV.

In natalem diem. . . Josephi GLOVERI è S. I. S. T. D. Leopolitani Nobilium Collegii Rectoris.

Fulsit lata dies! adeste, quidquid
Apricatur ubique puriorum
Per Cynthi juga, Tiburisque valleis,
Et per Thespia prata, GAUDIORUM!
Fulsit sacra dies! adeste, quidquid
Divos flectit ubique sanctiorum,
Dum per sacrificas Tonantis Aras
Templis rite litatur, HOSTIARUM!
Quem flos Lechiacæ tener juventæ
Rectorem obsequiis, amore Patrem,
Cer-

Certatim veneratur, ille magno
Hanc lucem genitus dicavit ortu,
O! qui sidereos super triones,
Nati pulcher horoscopus GLOVERI,
Pro natalitio benignus astro
Tantæ nobilius præes diei:
Quem Regina, DEI Parens Puelli,
Et Regem colit, et colit maritum,
Virgo, Virgineum, DEUSQUE dulcem
Pupus non dubitat vocare Patrem.
Muta, te rogo, pristinam benignus,
Inter sidera, non omitte, curam:
Servator PUERI, deinde, JOSEPH,
JOSEPHUM pueris PATRONE serva!

LV.

In eximium carmen Heroicum, quo Illustrissimus D. Severinus RZEWUSKI restitutam Augusto III. Poloniarum Regi valetudinem celebravit.

Viderat armatum Pimplæa caterva Tribunum
Phoebea intrepido templa subire gradu:
Nobiliterque fero cortinam accedere vultu,
Aonia et meritis poscere serta comis.
Scilicet auratis Heros visendus in armis
Sacra RZEWUSCIADES tecta subibat ovans
Ergo metu exanimes imbellis turba sorores,
Vim Phoebe, exclamant, vim prohibeto pater!
Huc

Huc etiam indomiti perrumpant arma Gradivi?
Nec parcat Sacris ira proterva tuis?
Sed pater, eximium norat qui carmine vatem,
Virgineos blandus risit Apollo metus:
Atque timere vetans „ Heroo digna cothurno
Primus hic, inquit, aget Miles, et acta canet.

LVI.

Aliud.

Ad laudatum Auctorem.

Fortiter herois dum rem geris impiger armis,
Grandiloquum et docto carmine pangis epos;
Calliopea tubam quatiens, HEROICA, dixit,
Hoc mea nunc demum Vate POESIS erit.

LVII.

Ad Augustum III. REGEM, e Polonia in Saxoniam iturum.

Otia quæ pacis, quæ summam AUGUSTE salutem,
Quæ tibi delicias debuit usque suas;
Illa ubi Lechæos didicit te linquere fineis,
Theutonidesque iterum visere velle plagas;
Hos misera in gemitus lacrymis erupit obortis,
Orba futura suo sarmatis ora PATRE.
„ Ergo suam Te perdet inops Polonia Lucem?
„ Ah! illi saltim pauca rogatus abi!
„ Non rogat ut maneas, nec enim te justa rogaret:
„ Hoc tamen adiurans te rogat illa, redi!

LVIII.

Prima veris ineuntis dies DIVO BENEDICTO Nursinati sacra.

Conspexit rubeos Benedicti sanguine sentes,
Dum terit hibernas Delius axe vias:
Et ratus esse rosas, hyemem quid longius, inquit,
Protrahimus? veris prima sit ista dies.

LIX.

Ad Geographos.

Quo tantum chaos, o Geographorum
Discordes animi? quid ille Picum,
Præfert Hesperiam alter ille Ferram,
Falconum crepat insulas at alter,
PRIMUM qua iubeat MERIDIANUM
Pleni ducere CIRCULUM diei?
Pugnatum satis, atque litigatum est,
Concordes aliquando convenite.
Dum tot jurgia, tot cietque turbas,
Quem duxistis adhuc tumultuantes,
Hunc iste, illum alius, MERIDIANUM;

Non est Circulus is Meridianus.
Non est dæmonium est meridianum.

LX.

De Cosmiano ad Faliscum.

Olim quot annis Cosmianus uxorem,
Priore fatis perdita, novam duxit,
Idque accidisse tricies, senes produnt.
Deinde nullum iam diu fuit funus,
Ille tamen uxorem quotidie ducit.
Quid est, Falisce, quod stupes? anus cæca est.

LXI.

Ad Rufum.

Ruse, quod in verbo correpta est prima *latrandi*,
Perpetuo oggannis: denique Ruse latras.
Non sane merito. Num non cum stipite Baudo
Communis vox est, Ruse, *latrare* tibi?

LXII.

Ad Procillum.

Reges, Pontifices, Duces, Magistros,
Doctoresque, Sophosque Zoilosque,
Saperdasque, canit libellus idem.
Hoc tu vero Procille reprehendis,

Secernique iubes, et ordinari.
At ne me, mones, molestus urge.
Hæc si sedalus ordinare pergo,
Et quemvis propria repono classe;
Te, qui sis, meus indicabit ordo.

LXIII.

In Marcum Crocutam.

Corde Nero est, oculis blanditur, et ore Crocuta.
Hunc vultum, hos oculos, vipera dipsas habet.

LXIV.

Ad CAROLUM LASCIUM.

Qualem tu mihi, quamque delicatum,
Donas CAROLE pulverem Nicoti!
Æquat balsama, quin odore vincit:
Et, si fas dare naribus saporem,
Priscorum ambrosiam sapit deorum.
Illum qui capit, attrahitque, totus,
Juro, Carole, vellet esse nasus.

LXV.

Ad Lupercum barbatum.

Pueras Procillus pædagogus in ſchola
Dum de Latinis edocet vocabulis,
ANATEM Latine nominari iuſſerat,
Iuſſuſque pulcher Eutyches, ANAS, ait.
GALLI rogatus nomen alter INDICI
Hylas comatus, dum miſer virgam timet,
Neſcire ſi ſe diceret, CAIPHAS ait.
Rides Luperce? quin rapis novaculam,
Ut hanc piloſis detrahas barbam genis?
Cave mereris, nam BARABBAS audies.

LXVI.

Ad Illuſtriſſimos RZEWUSCIOS, maritum viduum, et liberos pupillos, dum eis Auctor in obitum ANNÆ Principis LUBOMIRIÆ, funebre carmen mitteret.

Si ferimus veteri ſolatia tarda dolori,
Quo pridem miſere carperis orba domus,
Officii immemores cave credula dicere muſas,
Non prius iſta Tibi, quam ſibi, plaga dolet.
Pridem Helicon Cynthuſque pia ſonuere querela,
Proque ſuis lacrymas Caſtalis egit aquis.
Sed

Sed tibi ferre tamen ſolatia diſtulit ultro;
Dum furit et primus reſpuit illa dolor.
Ferrum iterum ſibi ſuſpiciunt plagamque parari,
Si videant medicam vulnera cruda manum.

LXVII.

CAIETANO TĄGOBORSKI, Scholaſtico Premislienſi Philoſophiæ, AA. LL. nec non Juris utriuſque Doctori.

Aurea ſarmaticæ lux CAIETANE Juventæ,
Sanguinis, ingenii, religionis honos:
Qui genio formam, qui nobilitatis avitum
Exſuperas animi nobilitate decus:
Jureperitorum lauros, et ſerta Sophorum,
Qui Doctor poteras emeruiſſe puer
Imo omnes cuius meruit ſapientia lauros,
Quot Stoa, quotque Helicon, quotque Academus habet:
Denique cui ſummum Sacrorum culmen Honorum
Digna mitris pietas religioque parat:
Jure quidem, fateor, meritoque SCHOLASTICUS audis,
Sed tamen eſt meritis laus minor iſta tuis.
Amplius hæc virtus, hæc rara ſcientia poſcit,
Te decuit Vivam dici utriuſque SCHOLAM.

LXVIII.

LXVIII.

Insana Britannorum nautarum profusio.

Hesperias victæ raperet dum victor Havanæ o)
Trans mare portandas prædo Britannus opes;
Tum riguere metu gemmæ, tum plurimus auro,
Plurimus argento pallor in ore fuit.
Extimuere solo metuendos unquibus hostes,
Naufragia et syrteis extimuere salo.
Ne tamen æquoreos metuas bona præda furores.
Naufragium toto non patiere mari.
Ast ubi lymphatus te Britone sparget in urbe p)
Nauta per indignas discitietque manus;
Tum misera in syrteis, sævasque serere charybdeis:
Naufragium medio tum patiere foro.

LXIX.

Araneus a muscis devoratus.

Dum sua lusciniæ pueri medicamina quærunt,
Capta fuit molli grandis Arachna manu;
Neu fugeret, crurifragio multata iacebat,
Pollicitam volucri viva datura dapem.
Mussarum interea superobruit agmen inermem,
Et,

o) *Anno 1762. 3. calendas octobris.*
p) *Londini in foro, ubi nautarum fæx prædæ illius partem in vulgus insolenter sparsit.*

Et, quid non audes ultio dira, vorant!
Jactabat moritura minas, risere furentem;
Orabat veniam, sævior hostis erat.
Non ullos male cauta hostes impune lacessis,
Signa carere olim viribus ira potes.

LXX.

Vita hominis quid rei sit.

Dum lacrymosi præcinit Jobi locum,
Quo MILITIA vita hominis, esse dicitur, *)
Cantor Sebastus dixit esse MALITIAM.
Errasse dicitis? imo id est oraculum.

LXXI.

M a m a s.

Novi, mater anus Corinna, novi
Natum, delicias tuas, Mamantem,
Quem tu cæca tuum vocas ocellum,
Mustelam, hinnuleum, lalisionem,
Et cui si schola, sique pædagogus,
A quoquam memorentur audienti,
Tu pallens, trepidansque, lacrymansque,
Ne parvum exanimet, rogas puellum.
Magnam vero, Corinna, parvitatem,
Vicenos puer iste natus annos
Ulnis si brevior foret duabus,
Æqualis Rhodio foret colosso.

LXXII.

*) *cap. 7. v. 1.*

LXXII.

Araneus, de quo supra, a muscis devoratus.

Quodnam hoc prodigium est? araneorum
Cœperunt furias domare muscæ?
Cœsi truncus iners iacet tyranni,
Exesique natans cruore ventris,
Ultrices da a præda pascit iras!
Hoc totis age fama sparge terris.
Audebunt aliquando vindicare
Gallinæ accipitrem, lupum bidentes,
Dianam lepores, canemque damæ.

LXXIII.

A l i u d.

Victus es? ille ferox dominator araneus hosti
Præda cruenta tuo, ludibriumque iaces?
Victorem sua vis quondam, et fortuna fefellit?
Utraque et hostiles perfida juvit opes?
Volvitur, inque orbem versat sors omnia! semper
Conditio infelix, fide, beata time.

LXXIV.

A l i u d.

Spretæ victima dum tyrannus iræ
Diram sangu ne pascit ultionem;
Fortunæ scelus, et ferum cruentæ.
Crimen proditionis execratus,
„ Non, o perfida, non mori dolemus,
„ Vivit, qui moritur decorus, inquit.
„ Spreti at ludibrium mori furoris
„ Hæc dira intolerabilisque mors est!

LXXV.

Aliud.

Quas non prædo minas, quas non jactaverat iras,
Spretus ab imbelli dum miser hoste perit!
Jurabat per et Imperium, per et Arma suorum,
Æterna invictæ perque tropæa Domus.
Fortunam quondam ipse suam, sua bella crepabat.
Ulturæ addebat Posteritatis opes.
Supplicii interea socius, qui pone jacebat,
Ut quid, ait, vanas perdis inulte minas?
Quin malesane taces? acuit non territat hostem,
Quæ furit, et justis viribus ira caret.

LXXVI.

Aliud.

A victo, et spreto victus iacet, hoste tyrannus.
Spem mala sors nunquam, nec bona pone metum.

LXXVII.

Ad BENEDICTUM GRABINIUM styli exercendi labor quî reddi possit levior.

Jucundum tibi quî styli laborem
GRABINI facias, docebo paucis.
Postquam seria, multa, magna, doctis,
Mandavit nimio labore ceris;
Sectator brevium facetiarum,
Quas nos, Cæsareis honestiores,
Interdum tibi figat ille muscas.

LXXVIII.

Ad BENEDICTUM CRESSIUM.

Nescio quos nobis dum vaticinaris honores;
Egregium et culto carmine fundis epos:
Non equidem, CRESSI, tua sunt oracula Vatis;
Sunt tamen eximii carmina Vatis opus.

LXXIX.

LXXIX.

RERUM PUBLICARUM FATUM.

GENUA protervæ quatitur armis CORSICÆ;
Turbis RAGUSA scinditur civilibus:
Quieta longo quæ videntur otio,
Polona dudum jam tument negotia
Navi fragorum non sine metu, fluctuum.
Hic PUBLICARUM semper est RERUM exitus:
DOMINATOR UNUS PLURIUM DISCORDIA.

LXXX.

AD LIPSIENSES, per novissimum bellum Germanicum atrocibus pluribusque prædationibus exhaustos.

*De illo Lucani loco . . . Arma tenenti
Omnia dat, qui justa negat . .*

Pharsalici quondam fuerat sententia Vatis,
Cuncta dare armato, qui dare JUSTA neget.
Nunc nihil injusti est, sibi quod sæva arma negari
Sustineant perdas omnia, siqua neges.

Emen-

Emendate locum, cunctiſque reponite libris,
Cuncta dare armato, qui dare JUSTA neget.

LXXXI.

Ad novam Arcem Cracovienſem, in qua IGNATIUS CETNER Palatinus Belzenſis, Eques Aquilæ albæ, humaniſſime Auctorem exceperat.

Hæſiſti memori repoſta mente
Hærebiſque meis diu medullis,
Vicino vene anda CRACOVECO
CETNERI domus alta conditoris,
Iſto Regificæ decore pompæ
Nil auguſtius eſt, ſuperbiuſque:
Iſtis deliciis amænitatum
Nil excultius eſt, venuſtiuſque.
Tantum ne DOMINO proterva certes.
Illi ſi male compareris, in te
Auguſtum nihil eſt, nihil ſuperbum,
Excultum nihil, et nihil venuſtum.

LXXXII.

De eadem domo, et Domino ad Hoſpitem.

Magnificas quiſquis CETNERI accedis ad arces,
Inque Palatinis ædibus hoſpes ades;

No

Ne tibi Regificam curæ ſit viſere pompam,
Divitiaſque, amplæ deliciaſque domus.
Sunt, fateor, digna hæc viſu; ſed digna negabit.
Cui vultum DOMINI noſſe, animumque datur.
Læta Semiramii ſpeciem Frons explicat horti:
Exſilit in vivas ſuada perennis aquas.
Inconcuſſa malis, nullique acceſſa pavori,
Arcem animi ſummam Mens Generoſa tenet.
Proſpiciens tamen adverſos Prudentia caſus
Ipſa ſibi ſpecula eſt, et vigil ipſa ſibi.
Bibliotheca ingens memori ſtat pectore Templum eſt
Cor priſca in Superos religione ſacrum.
Hæc ubi miratus perſpexeris omnia dices:
Tanta domus DOMINI vix levis umbra ſui eſt!

LXXXIII.

Ad D. VIRGINEM DEI MATREM pro conclamata JOSEPHI GLOVERI S. I. valetudine votum.

Magni ſponſa DEI Parenſque VIRGO,
Rerum certa ſalus periclitantum,
Sic Te Lechiacæ tener Juventæ
Caſtis flos amet invocare votis;
Votorum reus ille ſic ſuorum

Et

Et flores tibi ponat, et tabellas
Auro conſpicuas Peruviano;
Sic tæti Minimæ Sodalitatis
Matrem te juvenes, ſeneſque JESU,
Matrem teque ſuam vocare certent;
Sic Aris tibi mille, mille Templis,
Perſolvant meritos ſacrorum Honores:
GLOVERO fer opem, nigrique ſalvum
Portis eripe faucibuſque lethi.
Cunctaris liceat, precamur omnes,
TE, quamvis memorem, tamen monere:
JOSEPHUS Tibi ſupplicat, MARIA.

LXXXIV.

Ad Johannem BLINDRUM Germanum T. pro D. F. pro V. efferentem Gentis more.

I procul impius es. dubitas? Germanus es: ergo
Catholicus non es Blindre, nec eſſe potes.
Veris Catholicis DEUS eſt, nequiſſime VERUS:
At tibi quis? qualis? non TEUS, iſque FERUS?

LXXXV.

LXXXV.

Ad VENCESLAUM HIERON. SIERAKOWSKI. ARCHIEPISCOPUM METROP. LEOPOL.

In ejus natalem, Martio et Septembri menſe obiri ſolitum.

Lis erat in cœlo geminis cupientibus aſtris
Natalem, ANTISTES, condecorare tuum.
Hoc ductor ſignorum Aries, hoc Libra popoſcit.
Audiit at cauſam, compoſuitque Themis.
Sit tuus, Agne, dies, judex dea dixit, et idem
Æquo jure tuus ſit, mea Libra, dies.
Eſt SIRACOVIUS Paſtor Bonus, eſtque Senator:
Juſtitiaque, æquus, conſilioque gravis.
Decerno Natalem Arces Paſtoris obito.
Æqua Senatoris tu cole, Libra, diem.

LXXXVI.

Ad MATHIAM SZEMBEK Rectorem cum ad eum novem Socii Galli e ſua Patria extorres, veniſſent Leopolim, ab eoque humaniſſime excepti eſſent.

Extorres adiere novem tua limina Galli,
O PATER! exilii portus, et ara ſui?
Mi-

Mirentur ſubitoſque alii, multoſque venire;
Tardius, et paucos, ipſe venire puto
Quem te FRANCISCO præſtes, modo reſciat, omnis.
Ad limen veniet FRANCIA noſtra tuum.

LXXXVII.

Ad IGNATIUM COMITEM KRASICKI, PRÆPOSITUM CATHEDR PREMISL *)

Dum Gallica RACINII Junioris Poëmata, alterum de RELIGIONE, alterum de GRATIA, in carmen Patrium pereleganter tranſtuliſſet.

Dum Tibi RACINII divina poëmata Galli
Mirifice in Patrium verſa canuntur epos;
Et cultu eloquii, pietate et pectoris, ambas,
Quas caneres, narrant obſtupuiſſe deas.
RELIGIO majeſtatem nam carmine quovis,
GRATIA delicias plauſit in eſſe ſuas.
Ac prior, ecquo iſtum donamus munere? dixit:
Cui ſacra reſponſum GRATIA tale dedit.
Munus, ait, noſtri ſint Laurus et Infula Myſtæ:
Infula Pontificis, Laurea Vatis erit.

LXXXVIII.

*) *Jam Principem Epiſcopum Varmienſem, cui hoc rurſum dedicat ſuus Vates.*

LXXXVIII.

Quis vere felix ad Titum.

Felicem Tite non eum vocâris,
Aurum cui gravidas flagellat arcas:
Non quem poplite plebs adorat imo;
Non et, qui violis cubat roſiſque.
Felix, qui medium tenere novit:
Cui nec deiiciunt ſiniſtra fortem,
Nec tollunt nimium ſecunda mentem.

LXXXIX.

DIVUS AUGUSTUS III. POLONIÆ REX, die III. nonas octobres, quo ante XXX. annos electus olim ad Regnum erat, Regno et vita excedit.

Anno 1763.

Triginta magnos revolutis menſibus orbes
Sarmatici geſſit dum diadema Throni,
Pace, Fide, Pietate ingens AUGUSTUS eandem
Imperii primam, ſummam habuitque diem.
O tragicam, POLONE, diem! nec lætior ulla,
Nec fuerat rebus triſtior ulla tuis!

LXXXX.

Ex eodem argumento.

Prosopopoeia Poloniæ.

Te Libertatis pretium, te Pacis amorem,
Te vitam, et vitæ cor animamque meæ,
Te diro amisi lacrymanda POLONIA fato,
AUGUSTE, Imperii splendor honorque mei?
Ah! tua si saltim clausissem lumina! dulcem
Excepissem animam si malefausta tuam!
Hæsissem amplexu morientis, et oscula mille
Fixissem gelidis commoritura genis!
Hoc mihi sed quoniam crudelia fata negarunt,
Me saltim exuvias TU fac habere tuas.
Mollius haud usquam PATRIÆ PATER Alme cubabis;
Decrevi in lacrymis Te sepelire meis.

LXXXXI.

In mortem ejusdem Principis optimi, reddita, suis imprimis conatibus, cum Germaniæ, tum Europæ universæ pace, sanctæ obitam.

Dum sibi divinis Regna immortalia factis,
Cœlestem et summo comparat Axe Thronum;
Ætherei AUGUSTUS merita in consortia sceptri
Cœlituum votis rite vocatus erat,
Ergo VIRUM tandem terræ ereptura moranti
PAX Dia Æterni labitur Axe Poli,
Et „ properato, inquit. Per te sum reddita terris.
Solvo vicem, et cœlis te quoque reddo tuis.

LXXXXII.

A l i u d.

Mortale AUGUSTUS Regnum, terrasque perosus,
Jam Regnum in Cœlis da DEUS, inquit, Obit.

LXXXXIII.

Epitaphium - eidem.

NOSTIN' VIATOR, QUALE BUSTUM PRÆTERIES?
REGALIS, EHEU! TEGITUR HOC SAXO CINIS!
VIN' TU SEPULTI PRINCIPIS VOCABULUM?
FUIT ILLE LONGA LECHIÆ FELICITAS.

LXXXXIV.

Ad Venceslaum COSMIANVM Bohemum, de ALBI fluvio, qui a ſeptemtrionibus multa paſſuum millia in auſtrum progreſſus, repente curſum in ſeptemtriones retro vertit.

Subterranea dum Bohemus antra
Obſcuro colit ALBIS in receſſu,
Udos per liquidi fluenta fontis
Quondam proditur extuliſſe vultus,
Magnum et DANUBII audiiſſe nomen,
Quot ſe per populos ſuperbus ille,
Quot magnas tumidus ferat per urbeis,
Quantas velivolis opes carinis
Riparum dominus vehat ſuarum:
Quantis dives et amnium tributis,
Totis audiat Imperator undis.
Hæc Albis pater andiens, latenteis
Sub dium celer ire mandat undas:
Viſurus tot et amnium potentem,
It flumen ſibi, portitorquæ, Regem:
Sed dum terque, quaterque mille paſſus
Auſtrum verſus iit: ſuummet ipſe
Flexis retro oculis remenſus amnem,
Ignotas et adhuc opes aquarum;
„ Nam quo nos male tendimus? ſuperbo
„ Num vectigal, ait, feremus Iſtro,
„ Nobis quod fluvii, ferant minores,
„ Ni certum piget occupare Regnum?
Di-

Dixit, flumineamque vertit urnam
Vaſtas Parrhaſiæ plagas in Urſæ.
Sic magnum generoſus ille nomen,
Sic Regnum ſibi fluminum paravit.
Contentus modico, ſuoque lætus,
Qui ſcit vivere, Coſmiane, REX eſt.

LXXXXV.

Aliud.

Audierat Suevi famam procul ALBIS ut ISTRI,
Præproperus tanti fœdus in amnis iit.
Dumque petens auſtros longum retro agmen aquarum
Duxit, et in tantas ora reflexit opes;
Quis me, inquit, rapit error? in hoc ego fœdus inibo,
Quo mea deperdam? quo peream ipſe mihi?
An mihi libertas, an opes, an nobile nomen,
An maneat poſthac pars quotacunque mei?
Auferat hæc, rapiatque potentior, et ſua dicat,
Si ſibi me incautus, ſi mea jungo ſuis.
Hæc ait, et, verſos rapit in contraria curſus.
Eſſe cave alterius, qui potes eſſe tuus.

LXXXXVI.

LXXXXVI.

In PRUSSII PRINCIPIS JABLONOVII, Palat. Braslav. Vellus aureum, Gentilitii vero ſcuti inſignia ferrea, geminum diſtichon, eodem PRINCIPE inter liberalia joca expoſcente, factum ex tempore 1762.

1.

Vellus habes aurum, ſed avita inſignia ferrum. *)
In te habet, o PRINCEPS, Patria, robur, opes.

2.

Quid tibi PRUSSIADE cum ferri inſignibus agne?
Aurea, ait, ferro gloria parta mihi eſt.

LXXXXVII.

*) *Sunt in his inſignibus, falx ferrea, e veteri, opinor, curru bellico falcato, ſolea equina ferrea, et crus militare ocrea ferrea, ferreoque, calcari, armatum.*

LXXXXVII.

Reconditiſſimæ eruditioni eximiæque humanitati JOSEPHI ZALUSKI KIOVIEN. EPISCOPI, SACRUM.

Ad Fannium.

Bibliotheca tibi viſa eſt ZALUSCIA, Fanni?
Et viſa eſt toties? gratulor! invideo!
Invideam vero? revoco ZALUSCIUS ipſe
Nuper apud me Hoſpes, quam mihi gratus erat.
Ergo Zaluſciade ut fueris tu in bibliotheca,
Plus ego apud me ipſa hæc BIBLIOTHECA *) fui.

LXXXXVIII.

Ad Janum Glycerium Fungum.

En tibi quæ dudum Glyceri nova camina poſcis.
At mala ſunt, inquis. Fungus es: at nova ſunt.

LXXXXIX.

*) *Oſtrogii 1760. et 1761 cum Illmus hic Pontifex Collegium S. I. inviſens, Auctoris quoque cubiculum mira humanitate inviſere dignatus fuit.*

LXXXXIX.

Ad Cosconium de Traulo.

Accipe Cosconi, nuper bibo Traulius æger
Quid doluit, dum se crederet ipse mori.
Astabant pater et mater, faterque, sororque,
Et sponsa, et veteris pignora multa thori:
Seque illi natum, fratrem illi, ac illa maritum,
Plorabant isti perdere seque patrem.
Fortis at immoto tulit omnia Traulius ore,
Nil sua se questus perdere, nilque suos.
Ast ubi vicinam conspexit forte lagenam,
Tum miser ut toto pectore congemuit!

C.

De Pharnace et Aristagora ad Olynthum.

Nulla legit Pharnax, et plurima carmina scribit:
Scribit Aristagoras paucula multa legit.
Ille suo ingenio, sua debet hic omnia libris.
Dic, uter arbitrio præstet, Olynthe, tuo?
Semper apes aliena legit, sua semper Arachne
Parturit: illa tamen mella dat, ista NIHIL.

CI.

AD VENERABILEM VIRUM STANISL. RESCIUM de sua SPONGIA.

Hoc ais? in manibus mollis tibi SPONGIA, RESCI, est?
Illa aboles nigras, tot maledicta, notas?
Quem tamen hæc tetigit, dentes vomit ore cruento
Cerberus, ac ululans eiulat, O LAPIDEM!

CII.

Ad Tuccam.

Ne valeam, nisi quæ poscis me carmina, totis,
Tucca tibi cupiam inittere sæpe libris.
Sed quam me invitat bonitas, tam terret et arcet
Ingenii nimium lima severa tui.
Namque tibi e nostris vix optima quæque probantur
Quæ mediocria sunt, tu *nihil* illa vocas
Non piget, ut tibi scribam aliquid, me scribere multa:
Sed, nihil' ut scribam scribere multa piget.

CIII.

Quum Princeps Regius CLEMENS VENCESLAUS, Divi AUGUSTI III. Regis Poloniæ, Elect. Saxon filius, Ratisbon. Pontificatum adivisset 1763.

PRINCIPE SACRORUM CLEMENTE RATISBONA felix
Æmula ROMANIS ARCIBUS ibat ovans.
Nam quid? ait. Tuus est *) CLEMENS tibi, ROMA, decori:
Et nostra hoc ipsum Gloria nomen habet.
Jamque sacra invidiam vix URBS REGINA tenebat,
Jurgia ni Vates anticipasset honor.
Æque utroque, ait is, CLEMENTE, o ROMA triumpha:
Namque alter PRINCEPS est tuus, alter erit.

CIV.

*) CLEMENS XIII. PONT OPT. MAX. *universo Christiano Orbi feliciter sub idem tempus imperans.*

CIV.

Votum Europæ, immortali gloriæ STANISLAI AUGUSTI, POTENTISS. POLONIARUM REGIS, consecratum.

Vecta coronato Cretæa per æquora tauro
Sarmaticas verso dum videt ore plagas,
Pulchra mei REGIS carnens Europa juvencum,
Vis, inquit, tua sim? tolle: relinquo Jovem.

CV.

De publica ZALUSCIANA Bibliotheca ad Fannium.

In Musarum adyto ZALUSCIARUM
Te bis, ter quater, hospitem fuisse,
Non est, quod mihi gloriere Fanni.
Si te vel deciesque, triciesque,
Quin jactes mihi millies fuisse,
Nil effeceris, invidebo nunquam.
Auditu potius, quod invidebis.
Illic tu fueras: deinde non es.
Nos, qui non fuimusque, non sumusque,
Quam pridem fuimus, sumus, placemus! *)

CVI.

*) *Rem referi Auctor ad sua quædam typis vulgata Sscripta, iam olim ab se Ostrogii Illustrissimo* ZALUSCIO *donata, in eamque bibliothecam illata.*

CVI.

I. S. L. amantissimus privignus ad S. S. D. vitricum longe carissimum, suo natali die.

Quod natalitium tibi dem PATER optime donum.
Vera animi de Te do Tibi sensa mei.
More hominum sua dat reliquis natura Parentes:
Es bonitate PATER Tu mihi, more DEI.

CVII.

In statuam COPERNICII, *quam* JOSEPHUS PRINCEPS JABŁONOVIUS, PALAT. NOVOGROD. *magnus Virorum Eruditorum Cultor, ponendam curavit Thorunii, inscriptio eodem* PRINCIPE *postulante facta.*

Hic est Thorunii Civis, ortu Sarmata,
Utroque clarus axe COPERNICIUS.
Quid Magna *) jactas Archimedem Græcia?
En iste TERRAM MOVIT, et SOLEM STITIT.

CVIII.

*) Magna Gracia *est pars Australis Italiæ cum Sicilia, ubi Syracusæ, Patria Archimedis, qui dictitusse fertur* „ Date cubitum locii extra terram, et ego emovebo terram.

CVIII.

Ad militem gloriosum.

„ Mille Budissensi pugna, bis mille Pragensi,
„ Ter mille ad Dresdam, bis ter ad Hanaviam,
„ Dum pugno Austriacum contra, dum deleo Gallum,
„ Dextra mihi medios diffidit ista viros.
Hæc tibi jactanti toties me credere dixi,
Tandem ut laude satur dicere desineres.
Oh necdum miseras obtundere desinis aures?
Jam te mentiri dico quiesce Thraso.

CIX.

Ad Aulum.

Quod ridenda, stupenda, parva, magna,
Læta, atrocia, nulla, nullus ordo
Dispescat mihi, reprehendis Aule?
Hunc tu suscipe vir gravis laborem.
Nobis non vacat ordinare nugas.

CX.

CX.

Deiphilus Ismariensis Pascasio GROSIPPO a) *Verecundiam et mentem sanam.*

Idem e Divinis arcana Oracula libris,
 Idem de media dogmata rapta Stoa:
Idem

a) Si Grosippum aliunde ignoras, Amice Lector, e sucis hominem vel pauculis cognosce verbis. En hic illa. Præfatione in Paradoxa Literaria. *Perfeci tandem*, inquit, - - *quod in tuæ spem gratiæ abhinc trienium Romæ cœperam. Nam simul ac Theologicæ illi controversiæ, quam nosti, post diurnos nocturnosque vertentis anni labores extremam manum imposui, cujus mihi dirigendæ et illustrandæ provinciam Regii in Urbe Oratores - - - mandaverant etsi corporis et animi vires tanta studii contentione sic debilitaveram, ut - - - temperare tamen mihi non potui, quin ad indagandas Linguæ Latinæ causas toto pectore incumberem - - - Accidit autem, ut cum Roma, Ciceronis incunabula cognoscendi causa, Arpinum concessissem, Præstantissimi Principis, Sorce et Aquini Ducis hospitalitate - - - jucundissima cum eodem Duce obambulatione recreatus - - -*
- - - *Maritimo Genuam, et inde porro Mantuam pedestri itinere perveni. Et quamvis eo potissimum*

Idem Cæsareas e spisso codice Leges,
 Idem Pontificum jura GROSIPPE crepas:
Idem Oratorum vaga flumina, flumina, misces!
Idem

mum animo in hanc Italiæ partem me contuleram, ut ea Principibus subiicerem, quibus pax publica conservari, et gravissimorum motuum, quos jam imminere intelligebam, occasio præcidi posse videbatur - - -
Indice in Paradoxa. Epistola I. *Cicero et Varro nescíverunt, utro modo recte Latine diceretur, Pompejus tertium Consul, an Pompejus tertio Consul.*
Epistola II. *Cicero solœcismi ab Attico postulatus perditissima sui defensione usus est, seque solœcismum fecisse agnovit.* - - -
Cicero Piræeum perperam non putat esse opidum.
Cicero sibi a Grammaticorum regulis imponi passus est ut vitiose dici putaret, quod et rationi, et auctoritati, et publicæ ac suæ propriæ consuetudini, consentaneum esse scire poterat.
Varro, Sallustius, Cœlius, impura dictione usi fuere. Quintilianus imperite censet, solœcismum esse - - -
Epistola IV. *Optimi quiquæ linquæ Latinæ auctores fuerunt pessimi Grammatici.*
Varo minime bonus linquæ Latinæ auctor est.
Cicero Syntaxeos rationem in Attii verbis porsus nescivit.
Cicero suæ et aliorum loquendi consuetudines in ratione dictorum reddenda turpiter oblitus fuit.
Cicero Atii Poëtæ verba non recte intellexit.
Et cætera.

Idem inter Vates, Historicosque furis. 1)
Idem inter Reges pacem moderaris et Arma;
Idem efforescis Principum amicitiis.
Idem Arpinati te Varronique magistrum
Addis utrumque docens verba Latina loqui.
Quem voco te? salve a Doctor! Sophe! Jureperite!
Orator! Vates! Historice! et Critice! et --
Sed quid in immensum traho rem, quando omnia
Dicere fas? salve mirifice Ardelio (verbo

CXI.

In statuam Claudio Neroni Imp. hominum quiunquam fuerunt, stolidissimo, et crudelissimo, in foro Romano positam.

Viscera, cor, cerebrum, desunt o qualis imago!
Estque foris idem Claudius, estque domi!

CXII.

1) Sani quidem Scriptores aliquem bono furori locum in Carmine libenter tribuunt; at insani ardeliones malo furore suo ubique aguntur, feruntur, rapiuntur. Id circo hunc in Historia quoque furere affirmavimus.

CXII.

Ad S. Casimirum, Regium Poloniarum Principem, Patre Casimiro Jagellonio, Matre, Elisabetha Austriaca nobilissime natum: asserta heroice corporis atque animi Virginitate sanctissime mortuum.

Augusti JAGELLONIO de sanquine Patris,
Augustæ AUSTRIACO sanguine Matris Honos,
Humanæ nascendo tenes fastigia laudis,
Et summo Regum stas CASIMIRE gradu.
Divinæ moriendo tenes fastigia laudis,
Et summo Divum stas CASIMIRE gradu.
O vitæ mortisque decus! non contigit ulli
Nobilius nasci, nobiliusque mori!

CXIII.

Ad eundem S. Principem.

Illa tot Heroum, tot maxima Lumina Regum,
Quod Materna tulit, quotque Paterna Domus:
Illa tot Imperiis, tot gloria parta Triumphis,
Quantum a Te accipiunt, o CASIMIRE, decus!

P Te

Te sola terrarum, te Divum Lumen et Astra
Suspiciunt, meritis obstupefacta tuis.
Cœlituum in vulgo Tu REX: Heroas et inter
Obvenere Tibi, Palma Corona, Thronus.
Quisquam illustravit Majores clarius? Imo
Nemo obscuravit Te, CASIMIRE, magis!

CXIV.

Ad B. JOANNEM de DUCLA, ex ordine S. FRANCISCI Minorum de observ. Polonum, ne cæcitate quidem a trahendis ad DEUM innumeris animabus, dum olim viveret, impeditum.

Cæcus es, et tantis Dux, Luxque es DUCLA, salutis?
Sic est mundi oculus SOL, nihil ipse videns!

CXV.

Ad MICHAELEM IDELEVICUM.

Quo mihi jam toties munuscula dulcia mittis,
Cecropium sapiunt, Idelevice, favum.
Quin imo ambrosiam sapiunt, nectarque deorum.

Nec

Nec satis his etiam plus aliquid sapiunt.
Quid sapere his melius possunt, quid dulcius, inquis,
Nempe animum sapiunt, Idelevice, tuum.

CXVI.

MARCI AMPHORÆ BIBULI judicium de Heroibus in Æneide.

Fulgeat Heroum quis tota Æneide summus,
Quæsitum e Bibulo est: atque is „ me judice, dixit,
Par Bitiæ est nullus. Facinus vis? *impiger hausit.*
Spumantem pateram, et pleno se proluit auro. *)

CXVII.

Cum publice nuntiaretur, ab industrio quodam Gallo repertam tandem esse artem, qua salsæ ac insalubres maris aquæ in dulces ac salubres vertantur. Ad Auctorem inventi.

Credimus? Oceano dirum depellere virus,
Tabificum et poteras demere Galle salem?

 O quis

*) *Æneid.* 1.

O quis honos, tanto Naturam abſolvere probro,
Ne quis abhinc emptas in mare portet aquas,

CXVIII.

Ad C. AQUILONIUM BOREALEM.

Cur primo incipiat, quæris, ſol vere calere?
Nempe Athamantæi pelles tunc induit agni.

CXIX.

Ad JOAN. ILOVICIUM, indolis divinæ puerum.

Accipe candidulo promiſſum in paſſere donum.
Sic tamen: ille tibi, tu mihi paſſer eris.

CXX.

In ſtatuam Claudio Neroni Imp. in foro Romano poſitam.

VIATOR EXTERNUS.

Dic bone Vir, cuja ora refert, et cujus imago eſt.
CIVIS ROMANUS.
Quæris? habe paucis. Eſt ſtatuæ ſtatua.

CXXI.

CXXI.

De Traulio Biberio. Ad Titum.

Altum qui mare navibus pererret,
Illius poſitam eſſe noſter Aulus
Summam dixit in ANCHORA ſalutem.
Hoc vix Traulius audiit, repente
Succenſus ſtudio maris petendi,
Jurat, ſe fore navitam relictis
Tecto, conjuge, patre. matre, natis.
Miraris Tite rem? rogaſque cauſam?
Dici ſcilicet AMPHORAM putavit.

CXXII.

De Tucca. Ad Faliſcum.

Magno ſe patre Tucca jactat ortum.
Verum eſt ne dubita Faliſce novi.
Et vin' diſcere, quam ſit ille magnus?
Lecticarius eſt pedum novenum.

CXXIII.

In quosdam Philoſophos ac Theologos. Ad Quintianum Stoam.

Sepone ſeria Quintiane in craſtinum.
Quid de Philoſophis cenſeam veſtris ego,
Veſtriſque Theologis, aperiam id cras tibi;
Nunc

Nunc te jocoſa recreabo fabula.
Speculata nentes in rubis araneas
Aſtuta vulpecula „ papæ ! quantum heic, ait,
Subtilitatis ! at quid utilitatis eſt ?

CXXIV.

De Sulla.

Patrem Sulla ſibi Ordine ex Equeſtri,
Multarumque fuiſſe literarum,
Num jactat male, quando dicit illum,
Qui princeps fuerit magiſter inter
Portandarum equites epiſtolarum ?

CXXV.

Ad Sabellum.

Septena quamvis luſtra jam peregeris,
Tamen, Sabello, tantulo es corpuſculo,
Quantilla perdix aut cuniculus tener,
Quin imo quanta cochlea eſt, vel muſculus.
Qui procreavit te, Sabelle, tantulum,
Deciuſne Mus fuit ? an Paterculus Sorex ?

CXXVI.

Ad C. Vallium.

Eſt peſtis Procerumque, Principumque,
Eſt ſicarius, eſtque parricida,
Quicunque eſt tibi Jeſuita, Valli ?

Hæc

Hæc annis prope jam crepant trecentis
Priſcarum artifices calumniarum,
Hoc, inquis mihi, deierat Profeſſus,
Hoc libris docet Ordo Loioliſta.
Hoc, reddo tibi, Janſeniſta latrat,
Hoc latrat canis impius Deiſta.

CXXVII.

Chirurgus et Alus.

Drachmarum pretio chirurgum evellere dentes
Vidit inops, fatuæ ſimplicitatis Alus.
Atque ſtipem rogitans, gratus tibi protinus, inquit,
Vellam uno dentes aſſe, quot ipſe voles.

CXXVIII.

Fœnorum pernicies. Ad Alphium.

Ars tua cur, Alphi, damnetur legibus, audi:
Civibus et domibus fœnora fœnora ſunt.

CXXIX.

Ad T. Tatium de Mamante.

Paſſer Ilovicii miſerum cruciare Mamantem
Pergit, et æterna conficit invidia ?
Ah ! ſolare Tati puerum, matremque Corinnam:
Aſcalaphum et noſtro nomine utrique dato.

CXXX.

CXXX.

Ad Aulum de Corace.

Quod Regale genus de priscis ducat Iberis,
Ne dubita, rebus comprobat, Aule Corax.
Geryonis proles germana tricorporis, omnem
Intra hominum turbam tres habet ille manus.

CXXXI.

Ad Fuscum.

Quod non corripui saperdam in carmine, leges
Tu metricas pessum me dare Fusce fremis?
At jubet exemplo producere Persius auctor.
Piscem, inquis, produc: corripiendus homo est.
Oh! bene Fusce mones! certe tu versibus illis.
Diceris ergo mihi corripiendus eras.

CXXXII.

Ad Procillum.

Tecum, Procille, sentio, ac pueros tuos.
Fateor beatis mentibus simillimos,
Sed quas colore penicillus exprimit
Nil præter alas et nitentes bucculas,
Habere reliquum. Namque genii isti tui
Quid semper agitant? Garriunt. Volant. Vorant.

CXXXIII.

In eos qui Institutum S. I. tanquam impium condemnare sint ausi.

Quas scripsit sociis, tulitque leges,
Dux IGNATIUS approbante cœlo,
Id quod ROMA fatetur, et TRIDENTUM,
Nec Carvallius ipse denegavit;
Illas pestiferasque, perditasque,
Audent nescio quæ vocare Gentes?
O vocem temerariam! nefandam!
Diram! sacrilegam! Quis Auctor illam
Emisit Populus? furensne Maurus?
An Brasilus? an Huro? an Iroquæus?
An monstris Caribes per ora picti?
Non veri Dia - - - perge linqua - - - blintes.

CXXXIV.

In Comanum.

Quod sint lustra decem tibi peracta,
Quod plus tres pateas procerus ulnas,
Quod plus quam Briareus edas, bibasque,
MAGNORUM in numero iubas VIRORUM,
Censerique, colique te, Comane?
Sed quid consilio vales? quid armis?
Quid virtute? quid eruditione?

Quid

Quid prodes Patriæque, Civibusque?
Ex istis tibi nulla parta laus est?
Vir parvus, PUER es, Comane, MAGNUS.

CXXXV.

Ad Plancum Adolescentem Humaniorum Literarum studiosum.

De libris et typographis.

Doctior ut fias, Cicero Patavinus ematur:
Stultior ut fiat Balbus, emat Venetum. *)

CXXXVI.

*) *Vetus multorum, neque sane injusta, de illis Typographis est querela. In multis a Grosippo dissentio, in hoc* uno plane cum illo consentio, rem expertus. *MARC. Tullius Cicero*, inquit ille, *editus a Petro Victorio, Paulo Manutio - - - Ejus editiones Venetæ recentiores flammis aboleri debebant, cruces vero figi typographis - - - -*
Lege sis ipse cætera in *Syllabo Auctorum Linguæ Latinæ* Paradoxis adjecto.

CXXXVI.

Ad Fuscum.

Caluminator egregie refutatus.

Vah! quos, inquis, habet quamque acres Concina dentes!
Sane, at quos lapides, Fusce, Nocetus habet!

CXXXVII.

In Næviam.

Heroos elegos, lyticos, epigrammata, verbo,
Affectat versu Nævius omne genus.
Dumque illud nobis mittit genus omne malorum,
Ceu melius de me promeriturus, ait:
Ut tibi crebro plurima mittam carmina, dic mi,
Dic age, quo pede felix mihi versus eat.
Quo melior tibi versus eat pede, quæris? habeto:
Pæona, sed medicum, postulat iste furor.

CXXXVIII.

CXXXVIII.

Ad Quintilianum de Glaucia.

Glaucia, stipes iners, Epigrammata scribere cæpit.
Vatibus et se addit, Quintiliane? furit!
At non tentat Epos, Satyramque, Lyramque? malonem
Elegit minimum, Quintiliane sapit!

CXXXIX.

In Linum.

Quo vertis te cunque, canis comitatur: et illi
Tu Line blandiris perpettim, et ille tibi.
Indignis, rogo, deliciis absiste, tuusmet
Te canis iste suum ne putet esse canem.

CXL.

Ad G. P. Lyrica ab auctore poscentem, eique Horatii Poloni nomen impertientem.

Carmina Polonum flagitas Horatium?
Nosti igitur in Polonia tu Horatios!

Di-

Divi approbent! ego tamen haud ullum heic scio:
Aut siquis unus est fuisse creditus,
Totum ex eo morbi, abstulere Horatium,
Atrequæ curæ. Solus est Flaccus super.

CXLI.

IN DIVUM ALEXIUM.

Et Romæ, et patrio lare; degit ALEXIUS exul?
Cui cœlum Patria est, quoquo eat, exul erit.

CXLII.

Ad SUUM RECTOREM.

Donas Maxime Rector, et jocaris,
Non usquam joca liberaliora.

CXLIII.

CXLIII.

S. FRANCISCO XAVERIO
durius aliquid apud Indos perpetiente, CHRISTI cruci affixi effigies in arce Xaveria, natali Xaverii in Europa loco, ſanquinem ſudare ſolita.

Chriſti Membra ſumus, docente Paulo.
Sed non par honor omnibus; decorque.
Hic auris, manus ille, at ille pes eſt.
Quanti, quos levitatis aura i'actat,
Vix hærent tenuis loco capilli!
At te quem rear, o XAVERE? credo,
Quando te mala nula, Dive tangunt,
Quin fundat lacrymas, fleatque CHRISTUS,
Pupillam capiti fuiſſe CHRISTO.

CXLIV.

Idem Divus in ipſo Imperii Chinenſis aditu è Sanciano inſula in cœlos migrat.

Jam Cœli Imperio Medus, jam Parthus et Irdus,
Jam Scytha, Brachmanes, jam potiturque Japon.
Æthereas jam docta vias longum agmen Olympo:
Admovet, et cœlos Aſia tota ſubit.
Unica ſe Chine poſcentibus invidet, Aſtris,
Nec ſuperis ullum mittit avara decus.
Ah tibi crudelis tellus! ah invida Divis!
Ah tui amatori barbara Xaverio!
En moritur mœrore animi! miſereſce. vel unâ.
Auge animâ ſuperos Religioſa choros.
Quid querimur? dedit ecce ipſum Sina inſula cœlo.
Xaverium oh! non plus Aſia tota dedit!

CXLV.

S. FRANCISCUS BORGIA,
conſpecto Iſabellæ Auguſtæ cadavere nuntium rebus humanis remitere ſeque totum vitæ ſanctiori addicere, in animum inducit.

Exanime fixo Borgias dum lumine
Spectat cadaver Iſabellæ, nobilem
Vitæ perennis hauſit inde ſpiritum.
Mors ergo inanima Borgiæ vitam dedit?
Jurisperite; Legulcie, Philoſophe,
I nunc, et aſſere, NEMO DAT QUOD NON HABET.

CXLVI.

CXLVI.

Ad Paupertatem Religiosam.

Divina Pauperies! severa ultrix mali,
Pietatis altrix, initium mentis bonæ,
Quæ et quanta tu confers te amanti præmia!
Quam divitem efficere es potis! quam nobilem!
Tui se amori quisquis ex animo dedit,
Cum dives esse noluit, Divus fuit.

CXLVII.

De eadem ad divites avaros.

O quotquot fine fine aurum cumulatis, opesque:
Ne mihi Pauperiem despicitote meam.
Nobiliore lucro mea me fortunat egestas,
Quod nunquam vobis aurea gaza dabit.
Gloria sint regalis opes, nullius egere.
Absque opibus, veri est pauperis, atque DEI.

CXLVIII.

Castitas Religiosa. Ænigma.

Qui nivium est candor, pretium quod gemma meretur,
Est mihi: nec sum nix, gemma nec ulla tamen.

Qui

Qui nitor est speculis, est et mihi: vitrea tota,
Imo vitrum, non sum sed tamen ipsa vitrum.
Florida sum, quin flos spectes si quippe ruborem,
Sum rosa: sed candor lilium * esse probat.
Cum sim utrumque tamen, neutrum sum Lilia nostrum
Exæquare decus, nec potuere rosæ.
Qui Nazareno succrevit Flosculus Horto,
Sum sponsa illius, Sponsus et ille mihi est.

CXLIX.

Ad pœnitentiæ Religiosæ studium cohortatio.

Terris mortua turba, viva Cœlo,
Queis duro immeritæ rigore vitæ
Certis innocuas piare culpas.
Sublimi Metanœa cum flagello
Noctes atque dies peracris instat,
Amissumque jubet putare JESUM,
Amissus licet ille non fuisset,
Quæratur studio ut calentiore,
Inventusque tenacius prematur:
O! non parcite, sedulisque curis,
Ignaroque levaminis labori,
Ignaroque levaminis dolori!
Est tanti, magis in dies, magisque,
Cordis delicium invenire JESUM!

CL.

---

*) *Antique.* Insignita fere tum millia militum octo. *Ennius.*

Q

CL.

Ad Cosmicum incredulum.

Sive parata bonis Æternæ præmia Vitæ
  Afferimus, ridens, quisnam ea vidit? ais:
Sive parata malis æternæ incendia flammæ.
  Dicimus, indignans, quisnam ea vidit? ais.
Hoc sapere est, cerebrum tibi Fannius esse negavit,
  Teque urget, quisnam id viderit: ecquid ais?



DISSERTATIO.

FRANCISCI MICHAELIS LESNIEVII.

DE PERPETUO HUMANI GENERIS CONSENSU IN CONFITENDO,

QUOD DEUS SIT,

DISSERTATIO

EX THEOLOGIA NATURALI,

In qua Dei ejusdem providentia in Gubernando, juſtitia, in remunerando, animi præterea humani immortalitas, et religionis neceſſitas, e perpetuo ante natum Chriſtum antiquitatis conſenſu aſſeritur:

tum humanorum de Deo errorum fontes indicantur: falſi Chriſtiani, impii Epicurei et Athei, qui hodie Philoſophorum nomen inique ſibi arrogant, ſuis coloribus depinguntur,

PERPETUUS HUMANI GENERIS CONSENSUS IN CONFITENDO, QUOD DEUS SIT, NUM, DEUM EXISTERE, CERTO PROBET,

DISSERTATIO EX THEOLOGIA NATURALI.

Simonides quidem apud Tullium 1) ab Hierone tyranno rogatus, quid aut quale ſit Deus „ deliberandi cauſa ſibi unum diem poſtulavit. „ Cum idem ex eo poſtridie quæreret, bi- „ duum petivit. Cum ſæpius duplicaret nume- „ rum dierum, admiranſque Hiero requireret, „ cur ita faceret: Quia quanto, inquit, di- „ utius conſidero, tanto mihi res videtur ob- „ ſcurior. “ Sed credibile eſt Simonidem, non enim poëta ſolum ſuavis, teſte eodem Tullio, verum etiam cæteroqui doctus ſapienſque traditur, quia multa venirent in mentem acuta atque ſubtilia, dubitantem, quid eorum eſſet veriſſimum, deſperaſſe omnem veritatem.

Ego

1) *Lib. 1. de nat. deor. cap. 22.*

Ego vero dum identidem quærere plerosque audio, num consensio humani generis in confitendo, quod Deus sit, omnino probet, Deum existere; tametsi quæstionem istam non esse tam obscuram existimo; ut justi temporis ac laboris impendio illustrari nequeat: non tamen ita perspicuam in omnes partes, neque ita claram esse experior, ut nihil quidem operosa illustratione indigeat.

Namque et infinita non jam singulorum hominum, sed vero universarum nationum ac gentium multitudo, cum profiteri palam non desinat, Deum esse, quanta in hoc, de quo quærimus, consensu vis atque virtus insit, manifesto declarat: et ex hac ipsa multitudine cum fere major pars ita vivant, ut id ipsum de Deo videantur non credere; imo cum existant interdum aliqui, qui aperte etiam, atque palam, infitiari audeant, Deum esse; eam ipsam consensionis illius vim atque virtutem, dubiam sane, suspectamque videri multis, necesse est.

Quam ego rem posteaquam et diu, et accurate discussi; id quod mecum ipse constitui, hoc idem et publico respondendum puto. Itaque, meo quidem judicio, consensio Humani Generis in confitendo, quod Deus sit, ad hanc ipsam veritatem firmissime in animis hominum stabiliendam, incredibile semper habet momentum suapte vi ac virtute, atque hoc primum: exiguum interdum ac perleve nostro vi-

vitio, hoc esto alterum responsi caput. Jam utrumque hoc ipso ordine expendamus.

PARS. I.

Ista de Deo sententia est inprimis universorum, atque perpetua: est deinde certissimis ac evidentissimis sensuum nostrorum indiciis in animum transmissa nostrum atque in eo luculenter impressa: est ad extremum ita per sese ipsam menti et rationi nostræ infixa et insita; ut, si vel nihil ad eam animo informandam utamur sensibus; tamen Dei imaginem, a Natura nobis ingeneratam, nobiscum in mundum hunc adferamus. Quæ cum singula seorsim sumpta, tum vero multo magis conjuncta, atque in unum quasi conflata corpus, incredibile ex se ipsis pondus habeant necesse est ad nostros animos in ea ipsa sententia stabiliendos et fundandos.

Dixi primum, hanc sententiam universorum esse, atque perpetuam: nam quod unquam, ab ipso mundi ortu, ad hodiernum hunc diem, fuit sæculum, quæ sæculo aliquo gens natioque hominum, cui prorsus ignotum fuerit, Deum esse? Aliæ quidem opiniones hominum pleræque omnes certis temporibus, certisque auctoribus, oriuntur, et vigent: sed paululum inter distractas in diversa partes agitatæ atque discussæ, abiciuntur ad extremum et occidunt: hæc una iis est, earumque princeps, quarum nec ortum, novitatemque mundo atque hominibus posteriorem, quisquam viderit, vel a ma-

majoribus visam esse acceperit; nec vetustatem et obitum sit visurus.

Infinitus sim, si id, quod dico, vetustissimæ antiquitatis monumentis confirmare velim. Itaque non ad Linos et Orpheos, non ad Trismegistos, non ad Sibyllas, non ad cæteros ejusdem modi singulares homines, divinæ cujusdem sapientiæ gloria omnibus retro sæculis celebratos, et quasi consecratos, provoco.

Non ad tota sapientum agmina, Brachmanum et Gymnosophistarum in India, Magorum in Perside, Sacerdotum in Ægypto, Philosophorum in Græcia, Druidarum in Gallia, aliorum alibi, appello: Satis mihi superque fuerit, universe cum M. Tullio affirmare 2) „ nullam esse gentem, neque tam im„ mansvetam, neque tam feram; quæ non, „ etiam si ignoret, qualem Deum habere de„ ceat, tamen habendum sciat. "

Progrediamur jam porro, atque hæc ipsa universorum sententia quibus semper manarit e fontibus, videamus. Si enim illa non ab anilibus profecta commentis, non a præceptis temere vulgi opinionibus derivata et hausta, sed ex ipso rationis lumine deducta, et informata est; si demum non rudium duntaxat mentes animosque, quasi inanis quidam fulgor oculos, ita

2) I. de Leg. 8.

ita sua perstrinxit luce; sed, quanto quisque mortalium eruditione ac sapientia cæteris magis antecelluit, tanto illius claritatem, ac evidentiam perspexit, et admiratus est magis; tum in ea ipsa sententia et consensione omnium, ad istam, de qua agimus, veritatem in animis nostris fundandam, obfirmandamque, incredibilem inesse vim, negare non possumus.

Quid igitur Clarissimi quique Philosophi? unde tandem evidens affirmant esse, aliquem Deum existere? Dicet omnium nomine Aristoteles, suo quidem, et se digno ingenio, Romani autem oratoris eloquio. Sic ille igitur. 3) „ Si essent, inquit, qui sub terra semper ha„ bitavissent bonis, et illustribus domiciliis, „ quæ essent ornata signis, atque picturis, „ instructaque rebus iis omnibus, quibus abun„ dant ii, qui beati putantur, nec tamen ex„ issent unquam supra terram: accepissent au„ tem fama, et auditione, esse quod dam nu„ men et vim deorum: deinde aliquo tempo„ re, patefactis terræ faucibus, ex illis abditis „ sedibus evadere in hæc loca, quæ nos inco„ limus, atque exire potuissent; cum repente „ terram, et maria, cœlumque vidissent, nu„ bium magnitudinem, ventorumque vim cog„ novissent, adspexissentque solem, ejusquæ „ tum magnitudinem pulchritudinemque, tum „ etiam efficientiam cognovissent, quod is diem „ efficeret toto cœlo luce diffusa: cum autem „ terras nox opacasset, tum cœlum totum cer„ ue-

3) *Apud Cic. lib. de nat. deor. II. cap. 37.*

„ nerent astris distinctum, et ornatum, lunæ„ que luminum varietatem tum crescentis, tum „ senescentis, eorumque omnium ortus et occa„ sus, atque in omni æternitate ratos immu„ tabilesque cursus: hæc cum viderent, profec„ to et esse deos, et hæc tanta opera deo„ rum esse, arbitrarentur. "

Sed, jam Principi. Philosophorum Græciæ nihilo inferiorem Romanum adjungamus. Is ipse igitur, quem superius nominavi, Aristotelis laudator M. Tullius, ex persona Lucilii Balbi, hoc idem argumentum suo more, id est admirabiliter, sic pertractat 4) „ Quis hunc, „ inquit, hominem dixerit, qui, cum tam cer„ tos cœli motus, tam ratos astrorum ordines, „ tamque omnia inter se connexa et apta vi„ derit; neget in his ullam inesse rationem, „ eaque casu fieri dicat, quæ, quanto consi„ lio gerantur, nullo consilio assequi possumus? „ An, cum machinatione quadam moveri ali„ quid videmus, ut sphæram, ut horas, ut „ alia permulta; non dubitamus, quin illa opera „ sint rationis: cum autem impetum cœli ad„ mirabili cum celeritate moveri, vertique „ videamus, constantissime conficientem vicis„ situdines anniversarias, cum summa salute, et „ conservatione rerum omnium: dubitamus, „ quin ea non solum ratione fiant, sed etiam ex„ cellenti quadam divinaque ratione? Licet „ enim jam, remota subtilitate disputandi, „ oculis quodam modo contemplari pulchritu-

„ di-

4) *Ibid.* 38. - - 39.

„ dinem rerum earum, quas divina prvidentia „ dicimus constitutas. - - -

„ Multa prætereunda sunt, et tamen, „ multa dicuntur. Enumerari enim non pos„ sunt fluminum opportunitates: æstus mariti„ mi, tum accedentes, tum recedentes: mon„ tes vestiti, atque silvestres: salinæ ab ora „ maritima remotissimæ: medicamentorum sa„ lubrium plenissime terræ: artes denique in„ numerabiles, ad victum et ad vitam neces„ sariæ: Jam diei noctisque vicissitudo conser„ vat animantes tribuens aliud agendi tempus, „ aliud quiescendi. SIC UNDIQUE OMNI „ RATIONE CONCLUDITUR, MENTE „ CONSILIOQUE DIVINO OMNIA IN „ HOC MUNDO, AD SALUTEM OMNIUM „ CONSERVATIONEMQUE, ADMIRABI„ LITER ADMINISTRARI. "

Mundi igitur, mundi universi species, id est, mundi structura, mundi ordo, mundi gubernatio admirabilis, incurrere in sensus nostros nequit, quin certissimam evidentissimamque opificis et moderatoris Dei cognitionem in animis nostris imprimat. 5) „ Quid enim „ potest esse tam apertum, tamque perspicu„ um, cum cœlum suspeximus, cœlestiaque con„ templati sumus, quam, esse aliquod numen „ præstantissimæ mentis, quo hæc regantur? "

„ Quod

5) *II. de nat. deor.* 2.

„ Quod qui dubitet, haud ſane intelligo, „ cur non idem, ſol ſit, an nullus ſit, dubi- „ tare poſſit. Quid enim eſt hoc illo eviden- „ tius? " Sed quam amplus ad diſſerendum de re iſta, longe omnium præſtantiſſima hic campus ſit; mundi, inquam, accurata conſideratio, cœlos, terras, maria, piſces, aves, feras et manſvetas animantes, fruges, arbores, maxime vero hominem ipſum, id eſt, hominis corpus, et animum, curioſius pervagata, et contemplata, quot, et quam valida argumenta ſuppeditet, quibus certiſſime convincamur, non modo, eſſe Deum, ſed præterea omnium iſtarum rerum auctorem, atque moderatorem eſſe; dicere id quidem paucis nemo poſſit: ego vero brevitati ſtudere conſtitui. Quod ſi quis fert ægrius, reliquam ſuper his rebus diſputationem ejus, quem ſupra nominavi, Balbi, ſecundo de natura deorum libro relatam a Tullio, evolvat licet. Committere tamen hoc loco nequeo, quin viam ipſam ac rationem attingam, quam ſecutus humanus animus, rectiſſime, nulloque negotio, quippe naturæ ipſius ductu, a contemplatione mundi ad cognitionem mundani opificis gradum faciat. Chryſippus itaque Philoſophorum acerrimus, eam ipſam naturam ſecutus ducem, his viam iſtam conſignavit veſtigiis. 6) „ Si, in- „ quit, eſt aliquid in rerum natura, quod ho- „ minis mens, quod ratio, quod vis, quod po- „ teſtas humana efficere non poſſit: eſt certe „ id, quod illud efficit, homine melius. Atqui „ res

6) *Apud Cic. II. de nat. deor. 6.*

„ res cœleſtes, omneſque eæ, quarum eſt or- „ do ſempiternus, ab homine confici non poſ- „ ſunt. Eſt igitur id, quo illa conficiuntur, „ homine melius. Id autem quid potius dixe- „ ris quam Deum? Etenim, ſi dii non ſunt, „ quid eſſe poteſt in rerum natura homine „ melius? In eo enim ſolo ratio eſt, qua ni- „ hil poteſt eſſe præſtantius. Eſſe autem ho- „ minem, qui nihil in omni mundo melius „ eſſe, quam ſe, putet, deſipientis arrogan- „ tiæ eſt. Ergo eſt aliquid melius. Eſt igi- „ tur profecto Deus. "

Ecce, quem ad modum ſenſuum corporeorum adminiculo humanus animus certiſſima, clariſſimaque Dei cognitione imbuitur. Tantumne vero ſenſuum adminiculo? Minime quidem. Itaque ſi vel Tireſiæ naſceremur omnes, vel patriam et natale ſolum apud Cimmerios uſpiam, aut ſub extremis ſeptemtrionibus ultra Lapponiam, Groenlandoſve fuiſſemus ſortiti,

- - - - pigris ubi nulla campris
Arbor æſtiva recreatur umbra:
Quod latus mundi nebulæ, maluſque
Jupiter urget; 7)

tamen quam Dei notitiam ab externa rerum mundanarum ſpecie haurire illic nequiremus; eam intus in nobis ipſis, inque intimis animi noſtri penetralibus, clariſſime effulgentem videremus. Nec enim eſt, quare humanus animus certiſſime, ac etiam neceſſario, id quod iam vidimus, contemplatione cœli ac terræ aſſe-

7) *Horat.*

ſequatur cognitionem Dei; et non aſſequatur hoc idem contemplatione ſui.

Itaque is ipſe animus, ſi ſe tantiſper ab inanium curarum tumultu ſubduxerit, atque in ſe collectus, et tranquillus, diſquirere ſecum ipſe cœperit, cui tandem hoc debeat, quod in rerum natura ſit; tum in arcano quodam, clariſſimo tamen rationis lumine, quaſi occurrentem ſibi conſpiciet ſuum auctorem Deum: certiſſimeque cognoſcet, ab illo ſe originem ſuam ducere: illius imaginem referre: illius nutu in corpus veniſſe: illius ejuſdem nutu migraturum olim e corpore, ut vel præmia virtutis referat, vel flagitiorum det pœnas, in premiis æque atque in pœnis immortalis.

Hæc autem aſſecutus prima, cætera quoque iisdem veſtigiis haud difficile aſſequetur: eſſe ſcilicet illum divinum opificem, conditoremque ſuum, ſummo in homines omnes imperio, cui ſummus a nobis debeatur honor, atque ſummum obſequium eſſe incredibili erga humanum genus bonitate, cui et pro acceptis beneficiis maximæ ſint a nobis agendæ gratiæ, et pro accipiendis facienda vota: eſſe denique, ut verbo abſolvam omnia, natura ſua æternum, beatum, optimum, maximumque 8) „ dominatorem rerum, et omnia nutu regentem, et, „ uti ait Ennius " patrem divumque hominum- „ que, " et præſentem ac præpotentem Deum „ omnibus religionis officiis venerandum.

Vi-

8) *De nat. deor II. 1.*

Videtis jam, ſi, quæ dixi, ſint, vera, quam claram, et quam multiplicem, numinis divini notitiam ex ſemetipſo habeat humanus animus, modo noſſe ſe ipſum velit. Quid reſtat igitur, quam ut probem eſſe illa omnino vera? Ac, ſi quidem oſtendero, eadem illa omnia, omnibus ante religionem Chriſtianam ſæculis, non modo ſapientiſſimos quoſque Philoſophos, ſed et gentes ac nationes, totas, id eſt, eruditorum æque ac rudium infinitam multitudinem, certiſſime cognoviſſe, ac tenuiſſe; tum inſiliari, opinor, audebit nemo, eſſe longe veriſſima: quippe quæ ex ipſo naturæ lumine proficiſcantur per ſe ſe, et velut nativus quidam puriſſimæ lucis radius ſuapte ſponte emicent. Age itaque, horum ſingula eodem ordine jam comprobo, atque confirmo, uno quidem, ut adhuc feci, ne infinitus ſim, antiquitatis totius teſte M. Tullio; qui unus tamen ſit inſtar omnium: quippe et ad antiquitatem veterrimus, et ad notitiam omnis ante natum Chriſtum antiquitatis peritiſſimus, et ad fidem integerrimus, et ad auctoritatem graviſſimus, Romanus Socrates, togatus Plato et Ariſtoteles, totius veteris Philoſophiæ ſol. Cujus tertium de Natura deorum librum utinam hodie haberemus integrum. " Sed lacuna in- „ gens, inquit eruditiſſimus Olivetus, partem „ hujus libri tertiam ac fere quartam abſor- „ buit. " Hanc veterum olim Chriſtianorum „ religione factam eſſe labem, ſcio quoſdam „ dicere: quæ dicendi cauſa ſit, neſcio. Quid „ enim fuit denique, cur hæc amputarent, „ alia relinquerent, haud minus noxia, ſi non

 „ etiam

„ etiam magis? Arnobius quidem, lib. III. alios facti auctores indicat, cultores ipsos deorum. Tullium enim ait, *nullam veritum impietatis invidiam, ingenue, constanter, et libere, quid super populari* de diis *opinatione sentiret*, sic explicasse, ut *perorata esset hæc causa, nec secundas actiones* a Christianis *postularet*. Idcirco *esse non paucos, qui aversentur et fugiant de hoc* argumento *libros ejus*. Quin etiam *alios dicere*: *oportere statui per Senatum, aboleantur ut hæc scripta, quibus Christiana religio comprobetur, et vetustatis, opprimatur auctoritas*. Quæ scripta vero, si non hæc *de Natura deorum*? Quid enim Romanorum deos oppugnat homo Romanus consularis? initiatus? augur? pontifex? si ergo *scelus is fecit, cui prodest factum*, non est defficilis, conjectura, utris in partibus, Christianis, an aliis quæri hujus libri violatores oporteat. " Sed in viam.

Quid igitur ille primum de insita in nostris animis notione? Dei 9) „ Quæ, inquit, est gens, aut quod genus hominum, quod non habeat sine doctrina, anticipationem, quandam deorum? quam appellat Προληψιν Epicurus, id est, anteceptam animo rei quondam informationem, sine qua nec intelligi quidquam, nec quæri, nec disputari potest? Cum enim non instituto aliquo, aut more, aut lege, sit opinio constituta: maneatque ad unum omnium firma consensio: intelligi ne-

9) *De nat. deor.* I. 16. 17.

„ necesse est, esse deos, quoniam insitas eorum, vel potius INNATAS cognitiones habemus. De quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est. Esse igitur deos, confitendum est. Quod quoniam ferre constat inter omnes, non Philosophos solum, sed etiam indoctos: fateamur, constare illud etiam, hanc nos habere sive anticipationem, ut ante dixi, sive prænotionem deorum. 10.) Quod nisi cognitum comprehensumque animis haberemus, non tam stabilis opinio permaneret, nec confirmaretur diuturnitate temporis, nec una cum sæculis ætatibusque hominum inveterare potuisset. Etenim videmus, cæteras opiniones fictas atque vanas diuturnitate extabuisse. Quis enim hippocentaurum --- Opinionum enim commenta delet dies, naturæ judicia confirmat. 11) Ut autem, deos esse, natura opinamur, qualesque sint, ratione cognoscimus. sic *) permanere animos arbitramur, COSENSU NATIONUM OMNIUM. 12) Eorundem vero animorum nulla in terris origo inveniri potest. Nihil enim est in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum, atque fictum esse videatur;

10) *De nat. de or.* II. c. 2.
11) *Tusc. l.* I. 16.

*) Permanere, *id est*, nunquam interire, æternos esse, *ut se infra explicuit.*

12) Ibid. 27. 28.

„ tur; nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. His enim in naturis nihil ineſt, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat: quod et præterita teneat, et futura provideat, et complecti poſſit præſentia: quæ ſola divina ſunt. NEC INVENIETUR UNQUAM, UNDE AD HOMINEM VENIRE POSSINT, NISI A DEO. Ita quidquid eſt illud, quod ſentit, quod ſapit, quod vult, quod viget, COELESTE ET DIVINUM EST, ob eamque rem ÆTERNUM SIT NECESSE EST."

Eſt vero illud ipſum pulcherrima imago Dei. Quippe 13) „ nec Deus ipſe, qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi poteſt, niſi mens ſoluta quædam et libera, ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens et movens, ipſaque prædita motu ſempiterno. Hoc e genere, atque eadem e natura, eſt humana mens.

Eadem vero ipſa mens, quem ad modum Dei juſſu in corpus venit, ſic et e corpore migrare debet. 14) „ Vetat enim dominans ille in nobis Deus injuſſu hinc nos ſuo demigrare. Cum vero cauſam juſtam Deus ipſe dederit, ut tunc Socrati, nunc Catoni, ſæpe multis, næ ille, medius fidius vir ſapiens, lætus ex his tenebris in lucem illam exceſſerit. Nec tamen illa vincula carceris ruperit.

„ Le-

13) *Ibid.* 27.
14) *Ibid* 30.

„ Leges enim vetant. Sed tanquam a magiſtratu, aut ab aliqua poteſtate legitima, ſic a Deo evocatus atque emiſſus, exierit.

Ubi vero exierit, vultis noſſe, num quid eidem, e totius vetuſtatis conſenſu, vel ſperandum a Deo pro vitæ virtutibus, vel metuendum ſit pro flagitiis? 15) „ Auctoribus quidem ad iſtam ſententiam . . . uti optimis poſſumus, quod in omnibus cauſis et debet, et ſolet valere plurimum: et primum quidem OMNI ANTIQUITATE quæ, quo propius aberat ab ortu, et divina progenie; hoc melius ea fortaſſe quæ erant vera, cernebat. Itaque unum erat inſitum, priſcis illis, quos Caſcos appellat Ennius, eſſe in morte ſenſum, neque exceſſu vitæ ſic deleri hominem, ut funditus interriret: idque cum multis aliis rebus, tum e Pontificio jure, et cæremoniis ſepulchrorum, intelligi licet: quas maximis ingeniis præditi nec tanta cura coluiſſent, nec violatas tum inexpiabili religione ſanxiſſent, niſi hæſiſſet in eorum mentibus, mortem, non interitum eſſe omnia tollentem, atque delentem, ſed quandam quaſi migrationem, commutationemque vitæ, quæ in claris viris et fœminis DUX IN COELUM ſoleret eſſe: in cæteris humi retineretur, et permaneret tamen. Ex hoc et noſtrorum opinione.

„ *Ro-*

15) *Ibid.* 12. 13. 14.

„ *Romulus in cœlo cum diis agit ævum*, ut
„ famæ assentiens dixit Ennius - - - - Si vero
„ scrutari vetera et ex his ea, quæ scriptores
„ Græciæ prodiderunt, eruere coner, ipsi illi,
„ majorum gentium dii qui habentur, hinc a
„ nobis profecti in cœlum reperientur. Quæ-
„ re, quorum demonstrantur sepulchra in Græ-
„ cia: reminiscere, quoniam es initiatus, quæ
„ traduntur mysteriis tum denique quam hoc
„ late pateat, intelliges. Sed qui nondum
„ ea, quæ multis post annis tractari cœpis-
„ sent, physica didicissent, tantum sibi per-
„ suaserant, quantum „ natura admonente, co-
„ gnoverant.

„ Maximum vero argumentum est, natu-
„ ram ipsam de immortalitate animorum taci-
„ tam judicare, quod omnibus curæ sunt, et
„ maxime quidem, quæ post mortem futura
„ sint. *Serit arbores, quæ alteri sæculo prosint*,
„ ut ait Statius in synephebis: quid spectans,
„ nisi, etiam postera sæcula ad se pertinere?
„ Ergo arbores seret diligens agricola, quarum
„ adspiciet baccam ipse nunquam: vir magnus
„ leges, instituta, remp. non seret? Quid
„ procreatio liberorum, quid propagatio nomi-
„ nis, quid adoptines filiorum, quid te stamen-
„ torum diligentia, quid ipsa sepulchrorum mo-
„ numenta, quid elogia significant, nisi, nos
„ futura etiam cogitare? Quid illud? Num du-
„ bitas, quin specimen naturæ capi deceat ex
„ optima quaque natura? Quæ est igitur me-
„ lior in hominum genere natura, quam eo-
„ rum, qui se natos ad homines juvandos, tu-
„ tan-

„ tandos, conservandos, arbitrantur? Abiit ad
„ deos Hercules. Nunquam abiisset, nisi, cum
„ inter homines esset, eam sibi viam munivis-
„ set, Vetera jam ista, et religione omnium
„ consecrata. Quid in hac rep. tot tantosque
„ viros, ob remp. interfectos, cogitasse arbi-
„ tramur? Iisdemne ut finibus nomen suum qui-
„ bus vita, terminaretur? Nemo unquam sine
„ magna spe immortalitatis se pro patria offer-
„ ret ad mortem. Licuit esse otioso Themis-
„ tocli, licuit Epaminondæ, licuit, ne et ve-
„ tera, et externa quæram, mihi: sed nescio
„ quo modo inhæret in mentibus quasi sæculo-
„ rum quoddam augurium futurorum: idque in
„ maximis ingeniis, altissimisque animis, et
„ existit maxime, et apparet facillime. Quo
„ quidem dempto, quis tam esset amens, qui
„ semper in laboribus et periculis viveret?
„ Loquor de Principibus. Quid Poëtæ? nonne
„ post mortem nobilitari volunt? Unde ergo
„ illud? *Aspicite o cives senis Ennii imagini' for-*
„ *mam hic vestrûm panxit maxima facta patrum* Mer-
„ cedem gloriæ flagitat ab iis, quorum patres
„ affecerat gloria. Idemque:

„ *Nemo me lacrymis decoret, nec funera fletu*
„ *Faxit. cur? volito vivu' per ora virûm.* Sed
„ quid Poëtas? Opifices post mortem nobili-
„ tari volunt. Quid enim Phidias sui similem
„ speciem inclusit in clypeo Minervæ, cum in-
„ scribere non liceret? Quid nostri Philoso-
„ phi? nonne in his ipsis libris, quos scribunt
„ de contemnenda gloria, sua nomina inscri-
„ bunt?

„ Quod

„ Quod ſi omnium conſenſus, natura vox „ eſt: omneſque, qui ubique ſunt, conſentiunt, „ eſſe aliquid, quod ad eos pertineat, qui e „ vita ceſſerint; nobis quoque idem exiſtiman- „ dum eſt. Et ſi, quorum aut ingenio, aut „ virtute animus excellit, eos arbitramur, quia „ natura optimâ ſunt, cernere vim naturæ „ maxime; veri ſimile eſt, cum optimus quiſ- „ que maxime poſteritati ſerviat, eſſe aliquid, „ cujus is poſt mortem ſenſum ſit habiturus.

Quo ex capite habendum in præcellentiſ- ſimis factis eſt factum ſocratis 16) „ qui his et „ talibus rationibus adductus, nec patronum „ quæſivit ad judicium capitis, nec judicibus „ ſupplex fuit: adhibuitque liberam contuma- „ ciam, a magnitudine animi ductam, non a „ ſuperbia: et ſupremo vitæ die de hoc ipſo „ multa diſſeruit, et paucis ante diebus, cum „ facile poſſet educi e cuſtodia, noluit: et „ cum pæne in manu jam mortiferum illud te- „ neret poculum, locutus ita eſt, ut non ad- „ mortem trudi, verum in cœlum videretur aſ- „ cendere. Ita enim cenſebat, itaque diſſeruit, „ duas eſſe vias, dupliceſque curſus animorum, „ e corpore excedentium. Nam qui ſe huma- „ nis vitiis contaminaviſſent; et ſe totos libi- „ dinibus dediſſent, quibus cæcati, velut do- „ meſticis vitiis atque flagitiis ſe inquinaviſ- „ ſent; vel in repub. violanda fraudes inexpi- „ abiles concepiſſent, iis devium quoddam iter „ eſſe, ſeclulum a concilio deorum. Qui au-

„ tem

16) *Ib.* 29. 30.

„ tem ſe integros caſtoſque ſervaviſſent, qui- „ buſque fuerit minima cum corporibus con- „ tagio, ſe ſeque ab his ſemper ſevocaſſent, „ eſſentque in corporibus humanis vitam imi- „ tati deorum; his ad illos, a quibus eſſent „ profecti, reditum facilem patere. Itaque „ commemorat, ut cygnis (qui non ſine cauſa „ Apollini dicati ſunt, ſed quod ab eo divina- „ tionem habere videantur, qua providentes, „ quid in morte boni ſit, cum cantu et vo- „ luptate moriantur) ſic omnibus et bonis, et „ doctis, eſſe faciendum.

Etſi vero clarum per ſe ſit, qua natu- rali ratione cognoſcimus, Deum eſſe, et ab illo habere nos omnia, ſperare omnia; eadem ipſa ratione impelli nos ad illum religioſe co- lendum, quod eſt omnium fundamentum vir- tutum; tamen id quoque uno alterove Anti- quitatis teſtimonio confirmemus. Quid igitur graviſſimus ac lobupletiſſimus noſter teſtis? „ Suam inquit, intelligendi vim, ſuam ratio- „ nem ac mentem, ſuum conſilium, ſuamque „ induſtriam 17) contuens humanus animus, „ accipit ab his cognitionem deorum, ex qua „ oritur pietas, cui conjuncta juſtitia eſt, reli- „ quæque virtutes, e quibus vita beata exi- „ ſtit. “ Contra vero, ſi demus ſemel, aut nullum exſtare deum, aut nullam, uti Epicu- rei ſomniant, humanarum rerum habere cu- ram; 18) „ quæ, inquit idem, poteſt eſſe pie-

„ tas?

17) *12. N. D. 61.*
18) *1. N. D. 2.*

„ tas? quæ ſanctitas? quæ religio? hæc enim „ omnia pure ac caſte tribuenda deorum nu„ mini ita ſunt, ſi animadvertuntur ab his, „ et ſi eſt aliquid a diis immortalibus homi„ num generi tributum ſin autem dii nec poſ„ ſunt nos juvare, nec volunt, nec omnino „ curant, nec, quid agamus, animadvertunt, „ nec eſt, quod ab his ad hominum vitam „ permanere poſit; quid eſt, quod ullos diis „ immortalibus cultus, honores, preces, ad„ hibeamus. In ſpecie autem fictæ ſimulationis, „ ſicut reliquæ virtutes, ita pietas, ineſſe non „ poteſt, cum qua ſimul et ſanctitatem, et re„ ligionem, tolli neceſſe eſt. Quibus ſublatis, „ perturbatio vitæ ſequitur, et magna confu„ ſio. Atque haud ſcio, an, pietate adverſus „ deos ſublata, fides etiam, et ſocietas huma„ ni generis, et una excellentiſſima virtus ju„ ſtitia tollatur. Hæc noſter teſtis.

Videtis jam igitur, omnis Antiquitatis confeſſione, neminem ſanum, neminem, qui amens non ſit, hominem eſſe poſſe, quin idem ipſe, ſuopte rationis lumine, cognoſcat clare, aliquem deum eſſe. Neque id ſolum: ſed quin cognoſcat præterea, illum ipſum deum, poteſtate quidem, atque imperio, rerum eſſe ſupremum auctorem, dominatorem, moderatoremque omnium: bonitate vero, beneficentiaque in homines, procreatorem patremque hominum, a quo nimirum et miſſi in mundum ſimus: et habeamus bona omnia, quæ habemus: et habituri æternum ſimus, quæ ſperamus; ſi quidem ſanctiſſimis illius voluntatibus caſte religioſeque obſecuti fuerimus. Omnis proinde, omnis omnino Antiquitas confeſſa ſemper eſt, naturam ipſam eſſe homini ducem, ut Deum Conditorem ſuum, patremque optimum, non modo oculis intelligentiæ conſpiciat et cognoſcat; ſed religione quoque et pietate, quaſi doubus voluntatis brachiis, arcte ac dulciter complectatur.

Sed quid hæc ego veterum teſtimoniis confirmare adnitor, quæ hodieque ſic in omnium populorum vita, moribus, legibus, inſtitutis, impreſſa et conſignata ſunt, ut aboleri non poſſint, niſi in iis ipſis populis ita omnis humanitatis ſenſus aboleatur et pereat; ut monſtroſa quadam metamorphoſi, qualem nec poëtarum quiſquam commentus eſt, univerſum humanum genus in bruta et feras pecudes convertatur?

Negari itaque prorſus nequit, quin conſenſio humani generis in confitendo, quod Deus ſit, ad hanc ipſam veritatem firmiſſime in animis noſtris ſtabiliendam, incredibile ſemper momentum habeat ſuapte vi ac virtute, quod erat primum noſtri reſponſi caput. Videamus proinde jam alterum, quinam fiat, ut ea ipſa conſenſio vix quidquam interdum valeat noſtro vitio.

PARS

PARS II.

AC ego quidem vitium iſtius modi duplex in primis opinor eſſe: nempe exilitatem luminis in illa intelligentiæ humanæ vi, qua verum cognoſcimus; atque infirmitatem affectionis in ea voluntatis propenſione, qua bonum proſequimur. Sed proponamus utrumque rotundius. DICO, illam Dei notitiam, a natura nobis ingeneratam, parum ferme apud multos valere, primum ob ingenii humanis parvitatem: deinde multo etiam minus, ab ejusdem ingenii pravitatem.

Duas iſtas animi humani labes nemo veterum ſapientum non videbat: tam etſi veram illarum originem, generalem videlicet coruptelam naturæ, primorum generis humani Parentum flagitio depravatæ, veluti Nili fontem, vix quiſquam noverat. Ita longiſſimus plurimorum ſæculorum tractus, ab illa clade evolutus, omnem prorſus in maxima mundi parte funeſti illius caſus memoriam alta oblivione ſepeliverat.

Sed cauſam mali, de, quo loquimur, Chriſtianis myſteriis relinquamus: hac diſputatione, quæ naturalis duntaxat theologiæ finibus contineri debet, in malum ipſum oculos intendamus. Quid igitur de illo Veteres? Quis noſtro teſte, illorum hac de re ſenſus? „ Natura, inquit ille 19) animum reliquis rebus „ ita

19) *V. de fin. 21.*

„ ita perfecit, ut corpus: ſenſibus enim ornavit ad res percipiendas idoneis: ut nihil, „ aut non multum, adiumento ullo ad ſuam „ conformationem indigeret. Quod autem in „ homine præſtantiſſimum atque optimum eſt, „ id deſeruit. Etſi dedit talem mentem, quæ „ omnem virtutem jam accipere poſſet: ingenuitque ſine doctrina notitias parvas rerum maximarum, et quaſi inſtituit docere, „ et induxit in ea, quæ inerant, tanquam elementa virtutis: ſed virtutem ipſam inchoavit: nihil amplius. Itaque noſtrum eſt (quod „ noſtrum dico, artis eſt) ad ea principia, „ quæ accepimus, conſequentia exquirere.

Sed quantum cunque tandem deligentiæ, laboris, induſtriæ, atque, ut Philoſophus noſter vocat, artis, in iſtis conſequentibus exquirendis conſumpſerimus; ſi noſtris duntaxat opibus connixi fuerimus, ſi ſolus, inquam, in adſequendis divinis rebus humanas vires contenderimus: tam parum hic proficiemus hodie, quam exigue profecerant illi olim. Adigemur enim, æque ac illi oliim, aut infinitos diſcordium de Deo opinionum errores diſcedere, ſi ſapere quidem nobis videbimur, et ſuo quiſque ſenſu volemus ſtare; aut ingenuam ignorantiæ confeſſionem facere, ſi, quod res erit, non erubeſcemus fateri. Si enim hoc nobis evenire neceſſe eſt humanis in rebus; quanto magis neceſſe erit in divinis! Et, ſi omnis mundanarum rerum cognitio, teſte noſtro, 20) „ mul-

20) *In Lucul. 3.*

„ multis est obstructa difficultatibus: eaque est „ in rebus ipsis obscuritas, et in judiciis no„ stris infirmitas, ut non sine causa, et doc„ tissimi, et antiquissimi, invenire se posse, „ quod cuperent, diffisi sint: " quis confidat, se suo ingenio assequi divina posse?

Itaque, esse quidem Deum, nec dubitavit adhuc sanus quispiam; nec, nisi quidem insaniret, potuit dubitare. Sed ista tamen notitia quam in se primum est exigua: si præsertim cum immensa Divini Numinis magnitudine conferatur! DEUS OPT. MAX. nostris impressus mentibus, id est, quo ad se quidem, æterna bonorum omnium possessione ex se ipso beatus; quo ad nos autem, potentia, sapientia, justitia, liberalitate, providentia, magnificentia, auctoritate, imperio, denique omni genere excellentiæ, in omnes partes infinitus atque immensus, ita quodam modo se se habet ad nostros animos, dum illos omnes divina sua collustrat luce, uti, ad nostros oculos, sol iste aspectabilis.

Qui vastoque mari gaudet sua lumina pingi,
Guttâque roris parvulâ.

Qua propter humana ingenia, cum quædam nobis latissime videantur patere, ut in philosophis, ac theologis; quædam vero per quam angusta esse, atque exigua, ut in rudibus: præsertim vero, quod quidem ad res divinas attinet, in illis barbaris, quibus necdum af[illegible]t Christianæ doctrinæ lux; alia quidem cum vasto mari conferri; alia vix exiguum quoddam roris antelucani punctum adsimulare, videri possint, Nullum tamen, ut maxime videatur exiguum, si modo recto rationis usu valent, Divini illius solis, suæque Divinæ imaginis, expers omnino est. Sed quem ad modum ne oceanus quidem universus, ut vel maxime a sole isto aspectabili collustretur, ad ejus magnitudinem, pulchritudinem, et splendorem, vel tantillum accedit; cum totus terrarum et aquarum hic orbis noster, cum orbe solis collatus, vix puncti instar obtineat: ita humana vel sapientissimorum mortalium ingenia, ut vasta in se videantur esse, utque maxima lucis Divinæ copia collustrari in omnes partes, si tamen cum immensitate Dei conferantur, vix quidquam sunt amplius quam angustiæ, quam tenebræ, quam merum nihil. *Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo: et quasi nihilum et inane reputatæ sunt ei*, inquit sacer Vates 21) Nempe finiti ad infinitum nulla proportio.

QUID? quod ad istam modicam Divinam lucem cum tanto acrius oculos mentis debeset contendere, tam segniter conniveat et dorset contendere, tam segniter conniveat et dormitet humana incogitantia? Conniveat vero solum? Imo quam innumerabiles hoc genus Endymiones, alto desidiæ atque inertiæ consopiti somno, ita ætatem omnem suam edormiunt, ut mentis aciem vix raro in omni vita ad hoc lumen advertant!

Ignos-

21) *Isai. XL. 17.*

Ignoscamus hoc loco veteri illi cæcitati. Ex hac innumerabili Christianorum multitudine quem tu iuvenias, qui rogatus, non illico confiteatur, se religiose credere, Deum suam immensitate ubique nobis adesse præsentem? suis divinis oculis intima animorum nostrorum sensa penitus introspicere? pro sua sanctitudine nostris mirifice delectari virtutibus, abominari autem flagitia? pro sua justitia illis conferre præmia, his pœnas infligere, aut olim certissime, ac severissime, inflicturum esse? Mittamus cætera ejusdem modi. Recenseamus jam potius, quotusquisque Christianorum est, qui tam religiosam, tamque sanctam, vitæ omnis rationem teneat; ut illa omnia certissime, Deo nimirum auctore nosse, ut firmissime videatur credere?

Quodsi proinde in tanta veræ religionis luce, tamen maximam Christianorum partem tam fœda sua excæcat incogitantia; quid causæ erat, quod Lucilius olim quæreret apud Tullium,

Tubulus si Lucius usquam, si Lupus, aut Carbo, aut Neptuni filius, „ putasset, esse deos, „ tam periurus, aut tam impurus fuisset? 22) "Quid est, quod nos hoc idem de Huronibus, de Iroquæis, Hottentotis, de cæteris barbarorum quæramus?

Etsi

22) *I. N. D. 28.*

Etsi vero hæc admiranda cœli terræque species excitare nostram socordiam, atque experrectam et vigilem Dei memoriam suggerere nobis parata semper ac prompta sit; tamen ad excitandos nos minus jam in dies valet nostro vitio. Namque „ tenebras, inquit noster „ Philosophus 23) cogitemus tantas, quantæ „ quondam eruptione Ætnæorum ignium finiti„ mas regiones obscurasse dicuntur, ut per bi„ duum nemo hominem homo agnosceret: cum „ autem tertio die sol illuxisset, tum ut revi„ xisse sibi viderentur. Quod si hoc idem ex „ æternis tenebris contingeret, ut subito lucem „ adspiceremus; quænam cæli species videre„ tur! Sed assiduitate quotidiana, et consue„ tudine oculorum, asuescunt animi: neque „ admirantur, neque requirunt rationes earum „ rerum, quas semper vident: proinde quasi „ novitas nos magis quam magnitudo rerum „ debeat ad exquirendas causas excitare.

Adiiciamus jam, hæc ipsa ingenii humani parvitas quam prope ad incredibiles redigatur angustias, in qaot et quantos implicetur errores, quod infinita hominum multitudo, ut jam olim conquesti sunt veteres, nihil ferme animo videat: ad sensus corporis cuncta sua judicia referat: cum tamen, omnium sapientum effato, 24) „ magni ingenii sit, revocare men„ tem a sensibus, et cogitationem a consuetu„ dine

23) *II. N. D. 38.*
24) *I. Tusc. 16.*

S

„ dine abducere: imo vero cum id omnino fit neceſſarium, ſi rectam de Deo ſententiam velimus in animo informare. Quippe cum Deus, uti paulo ſuperius Tullium noſtrum præclariſſime docentem „ audivimus, cum, inquam, Deus, „ qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi „ non poteſt, niſi mens ſoluta quædam et li„ bera, ſegregata ab omni concretione mor„ tali; “ vulgus autem, ſenſuum ſuorum ſervum pecus, imo vero philoſophorum quoque præſertim antiquorum, quam multi, ubi ad iſtam Dei contemplandi rationem, infinito prorſus intervallo ſenſibus humanis altiorem, accederent: ſupra ſenſus tamen corporeos ne latum quidem, ut ita dicam, unguem poſſent aſſurgere, quanta eidem Deo affinxerunt monſtra! Eum quippe alii ipſummet Mundum, alii aliquam Mundi partem, puta, ignem aërem, ſolem, ac cætera hujus modi; alii horum ſingula, totidem deos crediderunt eſſe. Nempe, ut ait noſter auctor 25) „ a phyſicis rebus, bene „ atque utiliter inventis, tracta ratio eſt ad „ commentitios et fictos deos. Quæ res genuit „ falſas opiniones, erroreſque turbulentos, et „ ſuperſtitiones pæne aniles. Et formæ enim „ nobis deorum, et ætates, et veſtitus orna„ tuſque noti ſunt: genera præterea, conjugia, „ cognationes omnia que traducta ad ſimili„ tudinem, imbecillitatis humanæ. Nam et „ perturbatis animis inducuntur: accipimus „ enim deorum cupiditates (addiſſes mi Tul„ li, ſceleratiſſimas cupiditates) ægritudines, „ iracundias. Nec vero, ut fabulæ ferunt, dii „ bellis præliiſque caruerunt: nec ſolum, ut „ apud Homerum, cum duos exercitus con„ trarios alii dii ex alia parte defenderent, „ ſed etiam, ut cum Titanis, ut cum Gigan„ tibus, propria bella geſſerunt. Hæc et di„ cuntur, et creduntur ſtultiſſime.

25) *II. N. D. 28.*

SED expendamus jam paucis extremum illud; quod iſtam, de qua loquimur, humani ingenii parvitatem non jam in arctum, et in anguſtias, ſed propemodum in nihilum ipſum redigit, niſi naturali noſtræ inopiæ Divina ſuccurratur ope, noſtriſque tenebris Chriſtianæ Fidei lumen affulgeat.

Immenſum quidam, infinitum, æternum, (ut ſic dicam pro noſtro concipiendi modo) ante omnia retro ſæcula, et ortu carens: æternumque poſt omnia porro ſæcula, et obitu cariturum: inacceſſum, impenetrabile, incomprehenſum, verbo, illud, et tale, DEUS eſt; cujus vera et propria imago humano animo informari nequeat. Itaque ſi ad modicam illam notitiam, a natura nobis ingeneratam; quaſi ad tenuem in ſpiſſiſſimis tenebris ſcintillam lucis, infinitatem iſtam aggrediamur ſcrutari; quem uſquam, quem unquam exitum ratio noſtra reperiet? ubi in immenſam caliginem non incurret? ubi tenebris non involvetur æternis? ubi non, connitens inſiſtere, pelago quodam abſorbebitur? Ego quidem, ut, quod ſemper experior, ingenue hoc loco confitear, quoties veteres illos philoſophos præclare aliquid de

Deo ſentire, ac dicere, evolvendis eorum ſcriptis reperio; toties incredibili perfundor lætitia; quæ tamen mihi ſemper fere in pudorem et dolorem deſinit, cum præclara illa ſenſa, et dicta, abſurdo aliquo ſapientum illorum errore ferre ſemper corrumpi experior. Quoties me, et quantopere delectavit, ſapientiſſimus noſter Cicero, cum Deum eſſe unum, cum eundem puram eſſe Mentem, cum omnia nutu regentem, cum multa ejuſdem modi, ſapienter aſſeruit! Sed ubi deprehendo, eundem hominem quaſi occurrere ſibimet ipſi, atque obſiſtere, alio loco, et quærere „ ſi Deus unus „ ſit, quomodo eſſe beatus poſſit: quando qui„ dem nulla eſſe poſſit beatitudo, quæ ſolitu„ dine arceatur, ne ſe alteri impertiri, atqae „ cum eo ſua bona communicare poſſit: 26) " tenere me nequeo, quin et admirer luminis naturalis vim: videre enim mihi videor, in quantum myſterium quaſi digitum intendat inſcius; et ejuſdem lumiuis imbecillitatem confitear DEUM vero OPT. MAX. tanto cogitatis omnibus humanis altiorem, demiſſe venerer, eique maximas agam gratias, quod me religionis Chriſtianæ lumine colluſtrarit, docueritque, et unum eſſe Deum, et tamen non eſſe ſolum: quippe cujus unica natura trium perſonarum communione ſit beate.

Sed iſta ſcilicet altiora ſunt, quam ut ulla creata mens ſuapte vi attingere illa poſſit. Videamus proinde alia, non adeo quidem certe

26) *Infragm.*

te ſublimia, quibus tamen humana tot veterum philoſophorum ratio infinito quodam ſpatio inferior fuiſſe deprehenditur. Quis igitur illa inſignis philoſophi apud Tullium tam fidenter pronuntiata legat, quin ſuffundatur pudore: humanæque imbecillitatis miſeratione moveatur? „ Anthisthenes, inquit 27) in eo libro, qui „ Phyſicus inſcribitur, populares deos multos, „ naturalem unum eſſe dicens tollit vim et „ naturam deorum - - - Ariſtoteles, cum ſine „ corpore vult eſſe deum, omni illum ſenſu „ privat: etiam prudentia - - - Plato, quod ſi„ ne corpore deum vult eſſe, ut Græci dicunt, „ *ἀσώματον*, id quale eſſe poſſit, intelligi non „ poteſt: careat enim ſenſu neceſſe eſt, careat „ etiam prudentia, careat voluptate. "

Pudet commemorare cætera, Epicureo tamen homini Velleio fortaſſe condonanda. illud quis non indigne ferat, virum graviſſimum, apud eundem Tullium, tam acri, tamque longa diſputatione contendere 28) mentem, rationem, conſilium, rem eſſe humano generi longe peſſimam: ſique illam hominibus deus aliquis dederit (ſententiam hujus philoſophi, non verba, profero) peſtem potius, atque perniciem, quam beneficium dediſſe? Non igitur audiendos eſſe illos theologos, qui probent, exiſtere deos: quia iſtorum ſcilicet providentia et mundus univerſus regatur, et humanis rebus optime conſulatur.

Sen-

27) I. *N. D.* 13.
28) *III. N. D.* 26. *et ſeq.*

Sententiam hominis, homine tam indignam, exspectare quis potuit ab homine? a philosopho? Non tamen sum nescius, qui demum longam disputationem illam concludat is ipse philosophus. „ Hæc fere, inquit, dicere habui „ de natura deorum, 29) non ut eam tollerem, sed ut intelligeretis, quam esset obscura, et quam defficiles explicatus haberet. " Audio vero, teque, quando id tibi caves, Cotta nihil impietatis coarguo: testem duntaxat appello, quanta sit, et quam prope incredibilis, ingenii humani parvitas, si istud quidem sua vi, suisque opibus, in perscrutandis divinis rebus inniti velit. Et, si in istis de Deo quæstionibus tam obviis, tam pæne sub sensum cadentibus, tam spisæ possunt offundi tenebræ humano rationis lumini, ubi quis paulo fixius in res divinas est intuitus; quid erit eadem humana ratio ad altissima Divinitatis mysteria, si non ad solem noctua? Itaque quod evenire nobis, in animi nostri naturam acriter intueri contendentibus, sapientissime observavit noster Tullius; id ipsum, et multo etiam mag s, contingere necesse est, quoties paulo altius cogitare de Deo instituimus. Cum enim gravissimus hic philosophus præclarissime adseruisset, humanum animum et immortalem suapte natura esse; et, ubi emigrarit e corpore, aut æternis pro virtute, quam in corpore coluisset, donari a Deo præmiis; aut iis æternum excludi in flagitiorum pœnam: tum dignam magno philosopho, et pæne divinam sub-

29) *Ibid* 39.

subnectit sententiam „ NEC vero, inquit 30) „ de hoc quisquam dubitare posset, nisi idem „ nobis accideret de animo cogitantibus, quod „ iis sæpe usuvenit, qui acriter oculis deficientem solem intuerentur, ut adspectum omnino amitterent: sic mentis acies, se ipsam „ intuens, nonnunquam hebescit; ob eamque „ causam contemplandi diligentiam amittimus. „ Itaque dubitans, circumspectans, hæsitans, „ multa adversa revertens, tanquam ratis in „ mari immenso, nostra vehitur oratio. "

Hæc ad humanam incomprehensæ Divinitatis contemplationem quam promerito, imo vero quam necessario, transferamus! Quare quemadmodum, eodem Tullio attestante 31) veteres illi philosophi „ Dicæarchus, et Aristoxenus, quia difficilis erat animi, quid, „ aut qualis esset, intelligentia, nullum omnino animum esse, dixerunt; " ita, quia sit perdifficilis, imo vero quia omnem rationis humanæ vim infinite exsuperet, clara et plena naturæ Divinæ cognitio; innumerabiles olim exstiterunt (utinam non etiamnum existant) qui absurdissime quam multa, ne cogitanda quidem de Deo, tribuere sint ausi Deo: multa contra negarint, tribuenda eidem Deo: imo ipsummet aliqui negarint Deum: quæ quidem humanæ mentis extrema, est cæcitas, neque tam parvitati, quam pravitati animi tribuenda. Hoc jam ultimum videamus paucis. Vi-

30) 1. *Tusc.* 9. 30.
31) *Ibid.* 22.

Videbat jam olim omnis veterum philosophia, palamque confitebatur, hominem, ad res Divinas, et ad ipſam Divinitatem contemplandam, ac admirandam, factum eſſe a Deo, a quo nimirum non mente ſolum et ratione præditi, ſed ipſa quoque corporis conformatione egregie ad iſtam contemplationem comparati ſimus: quippe quos idem opifex molitorque Deus erectos atque cellos condiderit:

Pronaque cum ſpectent animantia cætera terras,
Os homini ſublime dedit, cælumque tueri
Juſſit, et erectos ad ſidera tollere vultus 32)

Sed nobis noſter Antiquitatis teſtis ſufficiat. Sic ille igitur. „ Ad hanc, inquit, „ Providentiam naturæ tam diligentem, tamque ſolertem, adjungi multa poſſunt, e quibus intellligatur, quantæ res hominibus a Deo, quamque eximia, tributæ ſint: qui primum eos, humo excitatos, celſos et erectos conſtituit, ut deorum cognitionem, e terra cœlum intuentes, capere poſſent. Sunt enim homines non ut incolæ atquæ habitatores, ſed quaſi ſpectatores ſuperarum rerum atque cæleſtium: quarum ſpectaculum ad nullum aliud genus animantium pertinet ſenſus autem interpretes ac nuntii rerum, in capite, tanquam in arce, mirifice ad uſus neceſſarios et facti, et collocati ſunt. Nam oculi, tanquam ſpeculatores, altiſſimum locum obtinent. 33) At-

32) *Ovid. I. Mec.*
33) *ll. N. D. 56.*

Atque utinam hoc nobiliſſimum Dei conditoris donum, recta, inquam, animorum noſtrorum conſtitutio nobis manſiſſet integra! Tum enim iſta Divinitatis contemplatio quanta nos luce perfunderet! quanta voluptate afficeret! atque aſſidue in Deo defixos detineret! Nunc autem, poſtea quam hamanum animum, labe illa fatali corruptum, peſſimarum cupiditatum peſtes quaſi certatim invaſerunt; tum rectas illius affectiones ut in pravum atque in tranſverſum detorſerunt! Quæ enim olim, naturâ integrâ, quaſi quidam ſalientes in altum fontes, recta ferebantur ſurſum; nunc veluti ruptis tubis, diſſolutaque machinatione priſtina, humi per declivia voluuntur, atque, cœno permiſtæ ſordibuſque, putreſcunt. Vel, ſi alia ſimilitudine uti placet, quod olim humanum ingenium, aquilæ cujusdam ritu, altiſſime a terra cælos verſus provolare, ac ſolis Divini lucem fixius contemplari, in deliciis habuit; illud jam, quaſi in talpam degeneraſſet, in terram ſe, id eſt, in terrena hæc bona defodere, omnemque oculorum animi uſum abdicare non horret. Itaque fit hodie, ut multo maxima, non barbarornm ſolum qui ferarum ritu in diem vivunt, ſed cultiorum quoque hominum multitudo, aut in veſanam ſuperbiam elata, aut ſordibus avaritiæ inquinata ac oblita, aut vino et epulis, at que ſommo ſepulta, aut cæterarum ejus modi vaniſſimarum rerum cupiditatibus implicata et perdita, omnem pæne Dei memoriam, ne dicam notitiam, ultro abdicet, nihilque minus ſua quidem intereſſe putet.

EX

Ex isto hominum impiorum genere illi inprimis sunt, qui suis elati opibus, suis inflati honoribus, sua freti potentia, suæ scientiæ ac sapientiæ opinione ebrii, sua, excæcati luxuria, atque in belluinarum libidinum demersi cœno, dum se omni ex parte beatos putant; Deum quidem rerum omnium auctorem esse non denegant; nulla tamen in eum pietate, nulla religione sunt: et, siqua possint, valere illum, atque suas res sibi habere, nec se rebus humanis immiscere, cupiant. Hos e sacris Philosophis vetustissimus graphice descripsit Jobus. *Tenent*, inquit *tympanum et citharam, et gaudent ad sonitum organi Ducunt in bonis dies suos - - - Dixerunt Deo, recede a nobis: scientiam viarum tuarum. Quis est Omnipotens, ut serviamus ei? et quid nobis prodest, si oraverimus illum?* 34)

NEC tamen hæc pravitas, ut magna sit, summa est. Duos itaque extremos illius gradus, alium alio magis præcipitem videamus. Fuerunt itaque, fuerunt autem? quam multi etiamnum sunt! Epicureis, qui seu lumine rationis convicti, seu odium invidiamque hominum, atque etiam pœnas veriti, esse quidem aliquem Deum non denegent; sed eum tamen ut esse beatum credant, qui enim esset deus, nisi esse beatus? neque mundarum rerum auctorem esset, neque se se in earum curam implicare, putant. „ Quærere a nobis, Balbe, „ soletis, inquit apud nostrum auctorem insig- „ nis ille sectator Epicuri Velleius „ quæ vita „ deorum sit, quæque ab iis degatur ætas. 35)

34) *Job. XXI. 12. 14.*

„ Ea videlicet, qua nihil beatius, nihil omni- „ bus bonis affluentius, cogitari potest. Nihil „ enim agit; nullis occupationibus est implica- „ tus; nulla opera molitur: sua sapientia et „ virtute gaudet: habet exploratum, fore se „ semper tum in maximis, tum in æternis vo- „ luptatibus. Hunc deum rite beatum dixeri- „ mus, vestrum vero laboriosissimum. Sive „ enim ipse Mundus Deus est, quid potest esse „ minus quietum, quam, nullo puncto tempo- „ ris intermisso, versari circum axem cœli „ admirabili celeritate? Nisi quietum autem, „ nihil beatum est. Sive in ipso Mundo Deus „ inest aliquis, qui regat, qui gubernet, qui „ cursus astrorum, mutationes temporum, re- „ rum vicissitudines ordinesque conservet, ter- „ ras et maria contemplans, hominum com- „ moda vitasque tueatur: næ ille est impli- „ catus molestis negotiis, et operosis. Nos „ autem beatam vitam in animi securitate, et „ in omnium vacatione munerum, ponimus. „ Docuit enim nos idem, qui cætera (Epicu- „ rus) naturæ effectum esse Mundum: nihil „ opus fuisse fabrica: tamque eam rem esse „ facilem, quam vos effici negatis sine Divi- „ na posse solertia, ut innumerabiles natura „ Mundos effectura sit, efficiat, effecerit Quod, „ quia quem admodum natura efficere sine „ aliqua mente possit, non videtis, ut tragici „ poëtæ, cum explicare argumenti exitum „ non potestis confugitis ad Deum. "

Ne-

35) *1. N. D. 19. 20.*

Neque vero hic ſolum agi beatitudinem Dei, ſed majeſtatem quoque, iſti religionis ſimulatores, reapſe vero irriſores, clamant. „Negatis hæc, inquiunt, tam polite, tam„que ſubtiliter, effiici potuiſſe ſine divina ali„qua ſolertia, cujus quidem vos majeſtatem „deducitis uſque ad apium, formicarumque perfectionem. 36)

Sed fallant, qua volunt, ſpecie, præclari iſti ſeu beatitatis, ſeu majeſtatis Divinæ, defenſores. Eorum tamen Epicurea vivendi ratio aperte probat, aliud eos habere in animo. Scelerum iſti ſcilicet, ſcelerum horrendorum, maxime vero eorum, quæ ſummum ſunt Epicureorum porcorum bonum, ne Vindicem Æternum metuant, talem ſibi effingunt Deum: quem nullum etiam eſſe uſquam, aperte dicerent; ſi non, ut dixi, hominum odia, atque execrationes, ſi non magiſtratuum ſeveritatem, in pœnas impietatis armatam, perhorreſcerent. Sic enim & ipſe illorum princeps Publico illuſum iviſſe, eſt multis creditus, nec ſine cauſa 37) „Video, inquit apud noſtrum auctorem „Cotta, id eſt, ſub Cottæ nomine ipſe au„ctor „, Video, non nullis videri, Epicurum, „ne in offenſionem, Athenienſium caderet (ne „capite damnaretur ſcilicet, uti Protagoras),„ verbis reliquiſſe deos, re ſuſtuliſſe.

Ne-

36) *In Lucul.* 38.
37) 1. *N. D.* 30.

Neque id ſolum vafræ ſimulationis genus, a ſuo iſto acceptum magiſtro, ſedulo imitantur hi ſui diſcipuli. Ab honeſtate quoque vitæ, a que adeo ab egregio virtutis, cultu, ut commendari ſe volunt, id eſt, omnibus, ſiqua poſſint, illuſum eunt! „. At etiam liber eſt „Epicuri, *De ſanctitate*, ut noſter teſtatur au„ctor, additque veriſſime ludimur, inquit, ab „homine, non tam faceto, quam adſcribendi „licentiam libero. Quæ enim poteſt eſſe ſan„ctitas, ſi dii humana non curant? Quæ au„tem animans natura nihil curans? Verius „eſt igitur nimirum illud, quod familiaris om„nium noſtrum Poſidonius diſſeruit in libro „quinto de natura deorum, nullos eſſe deos, „Epicuro videri quæque is de diis immortali„bus dixerit, invidiæ deteſtandæ gratia di„xiſſe. 38.)

Vultiſne autem, ingenue ut iſti vobis fateantur, num Deum humanarum rerum cura liberandum, beatitate ac majeſtate ejus moveantur, an vero potius ſibi ipſis viam muniant ad omnem vitæ morumque licentiam? Audite illorum unum, in familiari apud auctorem noſtrum colloquio, de amicis, aliter de Deo ſentientibus, libere conquerentem. „Impoſuiſtis, inquit, in capitibus noſtris ſempi„ternum dominum, quem dies et noctes ti„meremus. Quis enim non timeat omnia „providentem, et cogitantem, et animadver„ten-

38) *Ibid.* 44

„ tentem, & omnia ad ſe pertinere pitantem, „ curioſum, et plenum negotii deum? 39)

Habetis alterum, priore illo præruptiorem, in humano ingenio pravitatis gradum. Videte demum et tertium, eumque iam in præcipiti. Exſtiterunt itaque, ut noſtis, aliqui, eo cæcitatis amentiæque, atque eo impietatis progreſſi, imo vero in præceps acti; ut palam affeverarent, nullum uſpiam eſſe Deum: unde et athei ſunt vocati. Sed iſta hominum monſtra, tam pauca inprimis ab ipſo Mundi ortu, ad hodiernum diem, numerantur fuiſſe *) ut plures multo Gigantes et Titanos, illos, inquam, tricorpores, tricipites, anguipedes, anguimanos, cent manos, illos neſcio quam præterea portentoſos, atque ex omni immanitate conflatos, illos Furores, illos Orcos nominatim finxerit poëtarum licentia, quam atheos prodegiſſe natura, memoretur: quod videlicet majus, naturæ monſtrum ſit unus atheus quam illi omnes. Fuerunt præterea iidem ſemper hominum cæterorum horror, odium, et exe-cratio: eorumque non amicitiam ſolum, atque convictum, ſed congreſſum quoque fortuitum, ceu peſtem atque exitium, horrebant omnes: ſicuti de Diagora illo accepimus „ cui „ naviganti, vectores adverſa tempeſtate timi-„ di, et perterriti, ſuam illam calamitatem „ non dubitarint tribuere: clamaverintque lamentantes, non injuria ſibi illud accidere, „ qui illum ſcilicet in eandem navem recepiſ-„ ſent. „ 40) Denique in portentorum iſtorum impietatem tanta ſemper magiſtratuum omnium fuit ſeveritas; ut nuſpiam ea tuta, nuſpiam quieta, conſiſtere paſſi ſint, uti memorato jam ſupra Protagoræ accidiſſe legimus „ qui, cum „ in principio libri ſui ſic poſuiſſet, *de diis*, „ *neque ut ſint, neque ut non ſint, habeo dicere*, „ Athenienſium juſſu, urbe atque agro eſt ex-„ terminatus librique ejus in concione com-„ buſti. „ 41) Nullum ſcelus videlicet, nullum flagitium, neque homine tam indignum, id eſt, tam abſurdum in ſe, tam fœdum, tamque propudioſum; neque hominum ſocietati tam eſſe exitioſum, atque tam peſtilens, ſemper agnoſcebant omnes, quicunque ſana eſſent mente.

39) *Ibid* 20.

*) Cicero I. N. D. 23. tres ſolum ex omni antiquitate nominat: Diagoram, Theodorum, et Protagorum, qui ſe palam profiterentur eſſe atheos.

Nos igitur hæc amentiæ ac impietatis portenta cum univerſi generis humani odiis et execrationibus, tum vero eidem magiſtratuum ſeveritati, pœnis omnibus exterminanda, relinquamus. Illud quæramus potius, num effingendo illo beato, id eſt, illo rerum humanarum omnino negligente, atque incogitante deo, ſuam quoque beatitudinem Epicureorum quiſpiam fuerit aſſecutus. Item! Epicurum ipſum ut ſui conatus omnes, ad excutiendum ex animo

40) *III. N. D.* 37.

41) *I. N. D.* 23.

mo Vindicis Dei metum adhibiti, miſerandum in modum feſellerunt! Ille vero, auctore, noſtro, „ deos eſſe putat: nec quenquam vidi „ qui magis ea, quæ timenda eſſe negaret, „ timeret; mortem dico, et deos. Quibus „ mediocres homines non ita valde moventur, „ his ille clamat omnium mortalium mentes „ eſſe perterritas. 42)

Sed vultiſne audire ipſummet hunc magnum ſi ſuperis quidem placet, philoſophum, ipſummet, inquam Epicurum, ſua ſe confeſſione prodentem? Eodem noſtro teſte 43) in li„ bro, in quo breviter comprehenſis graviſſims „ ſententiis, quaſi oracula ediſſe ſapientiæ „ dicitur, ſcribit his verbis. -- *Si ea, quæ ſunt „ luxurioſis efficientia voluptatum, liberarent eos „ deorum, et mortis, et doloris metu; docerent„ que, qui eſſent fines cupiditatum; nihil hærere„ mus* (quin videlicet has ipſas voluptates „ ſummum hominum bonum eſſe affirmaremus) „ *cum undique complerentur voluptatibus, nec habe„ rent ulla ex parte aliquid aut dolens, aut æg„ rum, id eſt, aut malum.*

Itane vero? Epicure? Te omnis illa tua contentio, qua tibi ipſi, qua tuis, perſuadere connitebaris, nihil prorſus humana curari, imo nihil ne adverti quidem, a beato, id eſt, ab otioſo deo, Dei te, vindicis inquam Dei, metu liberare non poteſt? Auditis quidem ipſi, ut pa-

42) *I. N. D. 31.*
42) *II. de fin. I.*

parum, imo ut nihil, ſapiens iſte profecerit. At proficiunt fortaſſe illi, qui Epicuro, homine nimis religioſo videlicet, atque timido, imo vero ſanctitatis quoque, ſi ſuperis quidem placet, religioniſque magiſtro quam præclaro? animoſiores ſunt, ſeque vel ideo animoſos atque ſpiritus fortes nominant: neque metuunt, ſi non ex omni rerum natura Deum palam tollere, at certe ſua privare ſanctitate, ſua juſtitia: eique æternam, tam rumuneratione virtutum, quam flagitiorum vindictam abrogare. Ita quidem heroas iſtos, dum valent, dum vigent, dum periculi nihil imminet, gloriari perſæpe, atque.

Perferre intrepidos in fata noviſſima vultus *) legiſtis, credo, imo vidiſtis, multi: noviſtis tamen experti, quod in ſubitis, gravibusque periculis, ubi natura potius quam libertas operatur, ubi ad ſuum arbitrium non datur vivere, oculos atque manus opis cauſa in cœlum tollant: quod, malorum intolerantia in furorem rabiemque acti, quem Deum, agendis pro beneficentia gratiis, honorandum non putant, ut boni homines; eum, per furorem et rabiem, maledictis inceſſere plerumque ſoleant, ut mali dæmones: quod illis denique ſuamet conſcientia, præſertim in mortis articulo, uti nuper Voltæro, uti cæteris hodiernis, fanaticis Chriſtianæ Religionis hoſtibus, falſis philoſophis, carnificis cujuſdam domeſtici imo adeo

*) *Ovid XIII. Metam. 478.*

adeo infernalis dæmonis loco fuerit quin hodieque fit.

Hæc quidem certe omnia, avorum nostrorum memoria, confessus iam olim palam ante supplicium est Polonus ille Eques Atheus Liscinius, impietate primum deinde vero Christiana pænitentia celeberrimus. Productus enim **) in ferale theatrum, in quo et palinodiam publice caneret, et pœnas impietatis daret, narrabat omnibus, qui spectaculo illi aderant, se quidem abnegandô Deô medicinam quæsisse illis animi cruciatibus, quos sibi infinitorum scelerum, præsertim vero portentosarum libidinum, conscientia dies atque noctes inferret. Tantum tamen, inquiebat, absuit, ut vel, Deum non esse, mihi persuadere potuerim, vel sævientem scelerum conscientiam delinire; ut ista extrema impietate dolores quidem animi horrendum in modum exasperaverim; Deum vero existere, ac scelerum esse vindicem, nunquam magis, volens, nolens, crediderim, quam ubi obstinata multorum annorum commentatione, conscribendisque etiam libris, persuadere mihi, et aliis, adnitebar, non esse. Namque ajebat porro, cum olim credebam, et esse Deum, et sanctum ac justum esse, multi mihi non raro effluebant dies, quibus ne in mentem quidem mihi veniret Dei. At, ubi eum denegare constitui, tum vero non cœlum, non terram, non ullam fere in mundo rem, non me adeo ipsum, spectare potui; quin omnes istæ res meam mihi impietatem denegati, per summum scelus, sui ac mei Conditoris, dies noctesque omnes, horas omnes, acerbissime exprobrarent.

**) *Varsaviæ*, *1688*.

Habetis jam, opinor, quî vitio humano fiat, ut illa innata nobis omnibus Dei summi cognitio tam exiguum interdum et perleve in plurimorum animis momentum valeat. Simul tamen habetis, hanc eadem luminis cœlestis scintillam obrui quidem ad certum tempus, ac veluti sopiri in nostris animis, non nanquam posse; exstingui tamen omnino ac interire, nunquam posse. Habetis ipsos Epicuros, ipsos Atheos; ipsos, inquam, Æternæ Providentiæ, ipsos Divinitatis hostes, ejusdem Providentiæ atque Divinitatis testes. Quid restat jam igitur, quam ut, cujus gravissimi Philosophi M. T. Ciceronis sententiis ac testimoniis, in tota disputatione ista qua illustranda, qua confirmanda, usi fuimus; ejusdem præclarissima quadam sententia disputationi eidem finem faciamus?

Ille itaque consensum humani generis in confitendo, quod Deus sit, quodque idem rerum in mundo omnium supremus Conditor ac Moderator sit, æternam naturæ legem sapienter appellat. „ Firmissimum: inquit 44) hoc adferri videtur, cur deos esse credamus, quod nulla gens „ tam fera, nemo omnium tam sit immanis; „ cujus mentem non imbuerit deorum opinio. „ Mul-

44) *Tusc. Qu. 13.*

„ Multi de diis prava ſentiunt : id enim vitioſo „ more effici ſolet : omnes tamen, eſſe vim et „ naturam divinam, arbitrantur. Nec vero id „ collocutio hominum aut conſenſus, efficit : non „ inſtitutis opinio eſt confirmata, non legibus. „ Omni autem in re conſenſio omnium gentium, „ lex naturæ putanda eſt.

„ Sit igitur jam hoc perſuaſum civibus 45) „ dominos eſſe omnium rerum, ac moderatores „ deos : eaque, quæ gerantur, eorum geri di- „ tione, ac numine eos denique optime de gene- „ nere hominum mereri : et, qualis quiſque ſit, „ quid agat, quid in ſe admittat, qua mente, „ qua pietate, colat, religiones intueri : pio- „ rumque, ac impiorum, habere rationem. His „ enim rebus imbutæ mentes haud ſane ab horre- „ bunt ab utili, et a vera, ſententia. Quid „ eſt enim verius, quam neminem eſſe oporte- „ re tam ſtulte arrogantem, ut in ſe ratio- „ nem et mentem putet ineſſe, in cælo, mun- „ doque, non putet ? aut ea, quæ vix ſumma „ ingenii ratione comprehendat, nulla ratione „ moveri putet ? Quem vero aſtrorum ordines „ quem dierum noctiumque viciſſitudines, quem „ menſium temperatio, quemque ea, que gi- „ gnuntur nobis ad fruendum, non gratum eſſe „ cogant ; hunc hominem omnino numerare „ qui decet ? Cumque omnia, quæ rationem „ habent, præſtent iis, quæ ſint rationis ex- „ pertia : nefaſque ſit dicere, ullam rem præ- „ ſtare naturæ omnium rerum : rationem in-

„ eſſe

---

45) 11. de Leg. 7.

„ eſſe in ea, confitendum eſt. Utiles eſſe au- „ tem opiniones has, quis neget, cum intel- „ ligat, quam multa firmentur jure jurando : „ quantæ ſalutis ſint fœderum religiones : quam „ multos divini ſupplicii metus a ſcelere re- „ vocarit : quamque ſancta ſit, ſocietas civium „ inter ipſos, diis immortalibus interpoſitis „ tum judicibus, tum teſtibus ? Contra vero, „ ut dictum ſuperius pietate adverſus deos ſub- „ lata, fides etiam, et ſocietas humani gene- „ ris, et una excelleutiſſima virtus juſtitia tol- „ latur, neceſſe eſt.



CO-

COROLLARIUM.

Roges fortaſſe, Lector, quid Cicero modo unum deum loquitur, modo multos? Habe reſponſi loco, quod apud Cl. V. Joſephum Olivetum in *Theologia Græcanica* Vir quidam Eruditus ſic ſcribit de Platone illo, cum quo Cicero errare ſe malle affirmat, quam cum aliis ſapere.

„ Ait in Timæo Plato, *Deum invenire* hoc,
„ eſt, pervenire ad Dei notitiam, *difficile:*
„ *et, cum inveneris, indicare in vulgus, nefas*,
„ hoc eſt, difficultatis plenum, atque etiam
„ periculi Quod ergo de præſtantia Divinæ
„ naturæ ſentiebat, oratione promptum habuit;
„ quod autem de ſingularitate, in occulto. Il-
„ lic apertus, et ſuus; hic ſocraticus, et diſ-
„ ſimulator.

„ Itaque Plato, utcunque plures nomi-
„ net deos, Deum non agnovit, niſi unicum,
„ optimum, præſtantiſſimum, cujus ſapientia,

„ et

„ et virtute, condita hæc rerum univerſitas
„ eſt, atque ad eam operis formam exacta,
„ quo nihil effici abſolutius poſſit.

Hæc de Platone ſententia quam ex vero in Platonis admiratorem Ciceronem, cadat, norunt ejus lectores. Romanus tamen Philoſophus, Arnobio, quem ſuperius dedi, teſte, cum id eum res tempuſque poſceret, fortius ſe geſſit græco.

